


NEC ARROGO NEC DUBITO

Contents.


600046685Z

I.

IN

PINDARI PRIMUM PYTHIUM

DISSERTATIO

HABITA

CANTABRIGIÆ

IN

SCHOLIS PUBLICIS

VII^{mo} Kalend. Julias A. D. MDCCL.

A

GULIELMO BARFORD, M.A.
Collegii Regalis Socio.

CANTABRIGIÆ:
TYPIS ACADEMICIS EXCUDEBAT J. BENTHAM.
Veneunt apud GUL. THURLBOURN, Bibliopol. Cantabrigiæ;
J. WHISTON, Londini; et J. POTE, Etonæ.
M.DCC.LI.



DISSERTATIO IN PYTHIUM PRIMUM PINDARI.

TALI ſanè in Hierone celebrando uſus eſt exordio Poeta noſter, ut non impetu rapi concitato, ſed duci potius ad rem atque deferri videatur. Citharam alloquitur, exploratam quidem prius et prætentatam;

ΣΤΡΟΦΗ Α.

ΧΡΥΣΕΑ φόρμιγξ, Ἀπόλλω-
νος ϗ ἰοπλοκάμων
Σύνδικον Μοισᾶν κτέανον·
Τᾶς ἀκούει μὲν βάσις, ἀγλαΐας ἀρχά,
Πείθονται δ' ἀοιδοὶ σάμασιν·
Ἁγησιχόρων ὁπόταν τῶν φροιμίων
Ἀμβολὰς τεύχῃς ἐλελιζομένα.

Sumitur in proprio ſenſu ἀμβολὴ aut ἀναβολὴ pro mora aut dilatione; unde in hoc loco pro carminis præludio: nec diſconvenit Ariſtophaneum illud,

Ξυνελέγοντ' ἀναβολὰς ποτώμεναι·[a]

quin et idem in ἀναβάλλω confirmat Homerus,

Ἦτοι ὁ φορμίζων ἀνεβάλλετο καλὸν ἀείδειν.[b]

Quid autem? an conviviis tantum aut chorearum feſtivitati convenit illud Ἀπόλλω-

νος ϗ ἰοπλοκάμων
Σύνδικον Μοισᾶν κτέανον;

latius quidem Harmonia jactat imperium, a cœlo derivata, et cœleſtes quæſitum munus in uſus.

ΚΑΙ τὸν αἰχματὰν κεραυνὸν σβεννύεις
Ἀενάου πυρός. Εὕ-
δει ἀνὰ σκάπτῳ Διὸς αἰετός, ὠ-
κεῖαν πτέρυγ' ἀμφοτέρω-
θεν χαλάξαις

[a] In Pace. ℣ 822. [b] Odyſſ. Lib. 1. ℣ 155.

ΑΝΤΙΣΤΡΟΦΗ. Α.

Ἀρχὸς οἰωνῶν· κελαινῶ-
πιν δ᾽ ἐπί οἱ νεφέλαν
Ἀγκύλῳ κρατὶ, βλεφάρων
Ἁδὺ κλαΐστρον, κατέχευας. ———

In hac pulcherrima visione formanda antiquum Jovis simulacrum respexisse Pindarum nonnulli conjiciunt: equidem credo neminem præter optimum naturæ archetypum respexisse, neminem respicere potuisse. Quota enim, in hac tam exquisita imagine, quota pars est quæ illis adumbrari possit artibus

Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus?

Effingat quidem Sculptor Aquilam Jovis sceptro insidentem, et sopore oppressam altissimo: somnum oculis lentissimo irrepentem gradu, et Aquilam alas jamjam demittentem exhibeat (quantum possit) Pictoris tabula. Quis vero palpebris incorpoream somni offundit caliginem? quis res non absentes modo, sed vacuas etiam atque inanes rerum species ita repræsentat ut eas cernere oculis ac præsentes habere videamur? Poeta solus; Tu pæne solus ex Poetis, Pindare; Tu qui κελαινῶ-

πιν ἐπί οἱ νεφέλαν
Ἀγκύλῳ κρατὶ, βλεφάρων
Ἁδὺ κλαΐστρον, κατέχευας.

Nec desunt, qui ad hanc Pindari normam Phidiam sese contulisse suspicentur, ut pro loci religione, pro majestate Numinis Jovem exprimeret Olympicum. Sit ita sane; neque enim in arte tantum impar Poetæ Sculptor judicandus est, sed et in ipsa artis materie: quid in opere suo totius Græciæ celeberrimus artifex potuerit, ex Pausania[c] solo cognoscimus; quid Poeta, ex seipso: Phidiacum occidit opus; superest Pindaricum.

Ἁδὺ κλαΐστρον κατέχευας perperam legi Schmidius suspicatur pro κλᾷθρον ἐγκατέχευας: sed lectionem hanc metro adversari observant Editores Oxonienses. Quin et ipsi errant, dum poni volunt κλαΐστρον per Diæresin pro κλαῖστρον: hoc enim sine ulla resolutionis ope Doricè tantum legi-

[c] In Eliac. prior.

tur

tur pro κλῃϊςρον; derivatur autem a κλῄζω, ut et κλῄις, κλῇςὸς, et alia ejusmodi.

——'Ο ΔΕ κνώσσων
Ὑγρὸν νῶτον αἰωρεῖ, τεαῖς
Ῥιπαῖσι κατασχόμενος.——

Schmidius pessimè interpretatur ὑγρὸν delectatione perfusum: alii Metaphoram Dithyrambicam vocabulo subesse volunt; profectò, quid hæc sit Metaphora Dithyrambica, mecum ignorant. Ipse, ἐνδιάχυτον in Scholiis secutus, puto Poetam intellexisse dorsum sinuosum, subsidere scilicet aquilæ corpus alternis vicibus et attolli, aut reciprocari inter dormiendum reddito et recepto spiritu. Interpretationem hanc satis tuetur Xenophon, ὑγροῦν δὲ τοῦ σκέλους γαυριώμενος φέρεται:[d] et apud Longinum ὑγρὸν πνεῦμα videtur significare istiusmodi animum qui se facilè in diversas partes trajicit; μυθολογῆσαι κεχυμένος, καὶ ἐν ὑγρῷ πνεύματι διεξοδεῦσαι ἔτι ἱκανὰ μηκῆς ἄκρως.[e]

Τεαῖς ῥιπαῖσι κατασχόμενος. Poeta artis, quam et ipse profitetur, dignitatem ostensurus, et quid in percellendis animis Harmonia valeat, a simplicitate ad ornamenta figurarum decurrit; etenim pro teli ictu aut impetu fulminis ῥιπὴ usurpatur: Sic in Nem. 1.

Καὶ γὰρ ὅταν Θεοὶ ἐν πεδίῳ Φλέ-
γρας γιγάντεσσιν μάχαν
Ἀντιάζωσιν, βελέων ὑπὸ ῥι-
παῖσι κείνου, φαιδίμαν
Γαίᾳ πεφύρσεσθαι κόμαν.[f]

Omnis autem abit sublimitas, si, uti Oxonienses volunt Editores, κατασχόμενος in καταγχόμενος convertendum sit: etenim, ut ipsa docet ratio, sibi constare debet figura; non variis rerum imaginibus undecunque sumptis et inter se pugnantibus distincta; quæ omnia non majestatem, sed pannosam olent et sordidam paupertatem.

—— ΚΑΙ γὰρ βια-
τὰς Ἄρης, τραχεῖαν ἄνευθε λιπὼν
Ἐγχέων ἀκμὰν, ἰαίνει καρδίαν
Κώματι. Κῆλα δὲ καὶ

[d] De Re Equina. pag. 950. Edit. Leunclav. Ubi et ὑγρὰ ὀσφὺς, τὸ ὑγρὸν τοῦ χαλινοῦ &c. occurrunt.
[e] De Sublim. § 34. Vide et Pearcæi not. in locum. [f] ꝟ 100.

Δαι-

Δαιμόνων θέλγει φρένας, ἀμφί τε Λα-
τόιδα σοφίᾳ, βαθυκόλ-
πων τε Μοισᾶν.

Ad eandem figuram recurrimus; in ſimplici enim ſenſu κῆλα uſurpantur pro telis miſſilibus: Sic Homerus;

Ἐννῆμαρ μὲν ἀνὰ στρατὸν ᾤχετο κῆλα θεοῖο.[g]

Reprehendendus autem quodammodo videtur Poeta noſter, ut nimius teli ex eadem pharetra deprompti et quaſi prodigus: hoc unicum ſatis ex Olymp. 2. docet exemplum;

——— Πολλά μοι ὑπ' ἀγκῶ-
νος ὠκέα βέλη
Ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας ———
——— Τίνα βάλλομεν
Ἐκ μαλθακᾶς αὖτε φρε-
νὸς εὐκλέας ὀϊστοὺς
Ἱέντες; Ἐπί τοι
Ἀκράγαντι τανύσαις.[h]

ΕΠΩΔΟΣ. Α.

ὍΣΣΑ δὲ μὴ πεφίληκε
Ζεύς, ἀτύζονται βοὰν
Πιερίδων ἀΐοντα,
Γᾶν τε καὶ πόντον κατ' ἀμαιμάκετον·
Ὅς τ' ἐν αἰνᾶ Ταρτάρῳ κεῖ-
ται, Θεῶν πολέμιος,
Τυφὼς ἑκατοντακάρανος· τόν ποτε
Κιλίκιον θρέψεν πολυώ-
νυμον ἄντρον· ———

Diverſis montibus Typhœum ſubjecere veteres pro temporum diverſitate: et de Cilicia regionibuſque Oronti fluvio vicinis Strabo locutus, magnas ibi quondam mutationes fuiſſe teſtatur; unde ait, [i] Μυθεύουσι δ' ἐνταῦθά που τὰ περὶ τὴν κεραύνωσιν τοῦ Τυφῶνος καὶ τοὺς Ἀρίμους, Homerum præcipuè inter alios reſpiciens. Quin de alibi Ciliciam Typhœo aſſignat Pindarus,

[g] Iliad. lib. 1. ℣ 53. [h] ℣ 149. et ſeqq. [i] Geogr. lib. 16. pag. 750. Edit. Caſaub.

Τυφὼς

Τυφὼς Κίλιξ ἑκατόγκρα-
νος οὔ μιν ἄλυξεν·[k]

eundem in Prometheo vocat Æschylus [l] Κιλικίων ἄντρων οἰκήτορα· et Arimos montes appellat Lycophron [m] Τυφῶνος σκοπάς. Ex Asia Gigas versus Ægyptum migravit, et fabuloso apud lacum Serbonidem exceptus est latibulo; ibi enim, uti dicit Herodotus, [n] λόγος κέκρυφθαι τὸν Τυφῶ· nec immeritò; crebri enim exinde et lethales exorti sunt Vapores, quos et Τυφῶνος ἐκπνοὰς [o] appellat Plutarchus. In Siciliam demum a Poetis atque adversa Italiæ littora relegatus est.

—— ΝΥΝ γε μὰν
Ταί θ' ὑπὲρ Κύμας ἁλιερκέες ὄχθαι,
Σικελία τ' αὐτοῦ πιέζει
Στέρνα λαχνάεντα· κίων
Δ' οὐρανία συνέχει
Νιφόεσσ' Αἴτνα, πάνετες
Χιόνος ὀξείας τιθήνα·

Quæ Pindari verba optimè explicat Strabo, ubi dicit omnem terræ tractum à Cumis Italicis ad Siciliam usque pertingentem cavernosum esse atque inflammatum: [p] Ἐντεῦθεν καὶ ὁ μῦθος ὅτι φασὶ τὸν Τυφῶνα ὑποκεῖσθαι τῇ νήσῳ ταύτῃ, στρεφόμενον δὲ τὰς φλόγας ἀναφυσᾶσθαι —— Πιθανώτερον δὲ Πίνδαρος εἴρηκεν, ἐκ τῶν φαινομένων ὁρμηθεὶς, ὅτι πᾶς ὁ πόρος οὗτος ἀπὸ τῆς Κυμαίας ἀρξάμενος μέχρι τῆς Σικελίας διάπυρός ἐστι, καὶ κατὰ βάθους ἔχει κοιλίας τινας εἰς ἓν συνάπτουσας πρός τε ἀλλήλας καὶ πρὸς τὴν ἤπειρον —Ταῦτ' οὖν διανοηθεὶς, τῷ παντὶ τόπῳ τούτῳ φησὶν ὑποκεῖσθαι τὸν Τυφῶνα. Ex his et similibus appellativè ponitur Τυφὼς pro turbine; ut in Antigone Sophoclea,

Τυφὼς ἀείρας σκηπτόν.[q]

Putârunt nonnulli ex eruditis hanc Typhonis fabulam Græcis ostendisse antiquam et πατροπαράδοτον de Angelorum lapsu traditionem; quæ, cum Græci serò res litteris commendârint, defecit pænè atque exolevit ætate. Utcunque verò hæc se habeant, illam certè amplexi sunt Poetæ, carminibus suis dignitatem conciliaturi; illa in Phænomenis Naturæ explicandis usi sunt μυθολογοῦντες potius quam veritatis studiosi Philosophi: Ubi,

[k] Pyth. 8. ℣ 20. [l] ℣ 351. [m] ℣ 825. [n] In Thalia. cap. 5. [o] In Vita M. Antonii.
[p] Geogr. lib. 5. pag. 248. [q] ℣ 429.

ubi autem, nisi sub inflammatis Ætnæ radicibus, et inter æternos ignium torrentes Gigantes suos collocare possit Mythologia? aut ad quam satis amplam Ætnææ stragis causam potius confugiat rudis et prodigiosa Antiquitas, quam ad supplicia monstrorum, et fulminati Typhœi expirationes?

ΣΤΡΟΦΗ Β.

ΤΑΣ ἐρεύγονται μὲν ἀπλά-
του πυρὸς ἁγνόταται
Ἐκ μυχῶν παγαί· ποταμοὶ
Δ' ἁμέραισιν μὲν προχέοντι ῥόον καπνοῦ
Αἴθων'. ἀλλ' ἐν ὄρφναισιν, πέτρας
Φοίνισσα κυλινδομένα φλὸξ ἐς βαθεῖ-
αν φέρει πόντου πλάκα σὺν παλάγῳ.
Κεῖνο δ' Ἁφαίστοιο κρουνοὺς ἑρπετὸν
Δεινοτάτους ἀναπέμ-
πει· τέρας μὲν θαυμάσιον προσιδέ-
σθαι· θαῦμα δὲ καὶ παριόν-
των ἀκοῦσαι,

ΑΝΤΙΣΤΡΟΦΗ Β.

Οἷον Αἴτνας ἐν μελαμφύλ-
λοις δέδεται κορυφαῖς,
Καὶ πέδῳ· στρωμνὰ δὲ χαράσ-
σοισ', ἅπαν νῶτον ποτικεκλιμένον κεντεῖ.

Hæc Typhonis στρωμνὴ ad Homeri Τυφωέος εὐνὰς spectat,[r]

Γαῖα δ' ὑπεστονάχιζε Διῒ ὡς τερπικεραύνῳ
Χωομένῳ, ὅτε τ' ἀμφὶ Τυφωεῖ γαῖαν ἱμάσσῃ
Εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.

Vestigiis Græçorum Poetarùm insistit Latinorum princeps,[s]

Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime, Jovis imperiis impôsta Typhœo.

Id quidem in hac tam magnifica descriptione planè effecit Pindari ingenium, ut nobis, ab Ætna licet disjunctissimis, videndos objiciat inac-

[r] Iliad. lib. 2. ℣ 782. [s] Æn. lib. 9. ℣ 715.

cessos illos Ætnæ Crateras; nos, rerum naturalium non ignaros, excruciati Gigantis lamentationibus percellat. Elaboravit, ut ad sensuum altitudinem conspirarent circumstantiæ, non adeò multæ, sed selectæ quædam atque præcipuæ; ut illæ, partes suas tenentes, aliæ alias ordinatim subsequerentur; ut ex Epithetis ad rem apprimè spectantibus grandior exsurgeret amplificatio; ut denique verborum delectus, et ipsa non tam composita quam collisa verba maximæ et etiam præsentis ruinæ speciem exhiberent. Hanc Pindari picturam respexit in Ætna describenda Virgilius:[t] utrum vero Epicus præstantior sit, an Poeta Lyricus, diu multumque inter Criticos disputatum est. Et pro Pindaricis quidem partibus stetit Gellius; a Pindaro autem palmam abjudicandam esse censet inter alios in sua Virgilii editione Cerdanus. Qui velit, ipsos adeat; me ad alia festinans secum rapit Pindarus; qui nos, ut hæc portenta expavescamus, planè coegit: quid ni? cum ipse eadem, quod Sublimitatis caput est, refugere et reformidare Poeta videatur; cum ipse suis stupeat attonitus miraculis, Jovemque tanti mali depulsorem imploret.

Εἴη, Ζεῦ, τὶν εἴη ἀνδάνειν,
Ὃς τοῦτ' ἐφέπεις ὄρος, εὐκάρποιο γαί-
ας μέτωπον. ———

En, Auditores, nobilissimum Pindaricæ digressionis, dicam? an artificiosæ connexionis exemplum! a Jove enim Typhœus Ætnæ subjiciebatur; Jovem eadem Ætna agnoscebat patronum: unde in Olymp. 4. Poeta,

Ἀλλ', ὦ Κρόνου παῖ, ὃς Αἴτναν ἔχεις
Ἶπον ἠνεμόεσσαν ἑκατογ-
κεφάλα Τυφῶνος ὀβρίμου.[u]

Quum vero tanta Siciliæ fertilitas fuerit, ut eam præcipuè Pindarus πίειραν appellet;[x] totam Insulam Cereri et Liberæ consecratam esse dicat Cicero;[y] hæc de qua loquitur Poeta, Ætnæ vicinia eximiam et maximè notabilem jactabat fœcunditatem. Silius quidem Italicus ait,

Tum Catane ardenti nimium vicina Typhœo:[z]

hanc autem vicinitatem adeò non reprehendit Strabo, ut et omnem Catanes ubertatem Ætnæis apponat cineribus.[a]

[t] Æn. lib. 3. ỳ 571, et seqq. [u] ỳ 10. [x] Nem. 1. ỳ 21. [y] In Verr. lib. 4. § 48.
[z] Lib. 14. ỳ 197. [a] Geog. lib. 6. pag. 268. et lib. 13. pag. 628.

— ΤΟΥ

—— ΤΟΥ μὲν ἐπωνυμίαν
Κλεινὸς οἰκιστὴρ ἐκύδανεν πόλιν
Γείτονα· ——

Jam tandem per ambages Poeticas, per loca alternis jucunditatis et terroris imaginibus distincta ad Hieronem ipsum devenimus: Ætnam enim, quæ Catane antea dicebatur, Hiero nuperrimè condiderat, et a vicino monte nominaverat; unde et Pindarus,

Κωμάσομεν παρ' Ἀπόλλω-
νος Σικυῶνόθε, Μοῖσαι,
Τὰν νεοκτίσταν ἐς Αἴτναν.[b]

Idem declarant Historici, inter se tamen aliquantò pugnantes. Ait enim Strabo tantùm Catanen antiquos incolas suos amisisse: ἀπέβαλε δὲ τοὺς οἰκήτορας τοὺς ἐξαρχῆς ἡ Κατάνη, κατοικίσαντος ἑτέρους Ἱέρωνος τοῦ Συρακουσίων τυράννου, καὶ προσαγορεύσαντος αὐτὴν Αἴτνην ἀντὶ Κατάνης.[c] Dicit insuper Thucydides, Ἐῤῥύη δὲ περὶ αὐτὸ τὸ ἔαρ τοῦτο ὁ ῥύαξ τοῦ πυρὸς ἐκ τῆς Αἴτνης, καὶ γῆν τινα ἔφθειρε τῶν Καταναίων· λέγεται δὲ πεντηκοστῷ ἔτει ῥυῆναι τοῦτο μετὰ τὸ πρότερον ῥεῦμα.[d] Sed αὐτὸ τὸ ἔαρ τοῦτο fuit sextus belli Peloponnesiaci annus, tertius autem Olympiados 88væ; ideoque τὸ πρότερον ῥεῦμα contigit anno primo Olympiados 76tæ. Contrà Diodorus Siculus affirmat Hieronem Catanæos expulisse: Ἱέρων δὲ τοὺς Καταναίους ἐκ τῆς πόλεως ἀναστήσας ἰδίους οἰκήτορας ἀπέστειλεν —— καὶ τὴν μὲν Κατάνην μετωνόμασεν Αἴτνην:[e] et hæc gesta esse testatur eodem anno in quo Thucydides de Ætnæa eruptione loquitur. Hoc Synchronismo adductus conjicio Hieronem tunc quidem Catanæos exegisse, cum jam recenti incendio essent affecti, et in urbe reparanda occupati; ex Historicis autem hunc unam assignâsse causam, illum vero alteram, cum in eadem re ambæ simul concurrerint.

—— ΠΥΘΙΑΔΟΣ
Δ' ἐν δρόμῳ κάρυξ ἀνέειπέ νιν, ἀγ-
γέλλων Ἱέρωνος ὕπερ
Καλλινίκου

ΕΠΩΔΟΣ Β.

Ἅρμασι ——

[b] Nem. 9. ad init. [c] Geogr. lib. 6. pag. 268. [d] Hist. lib. 3. juxta finem.
[e] Hist lib. 11. pag. 267. Edit. Steph.

Ab Ætna ad Pythicam Hieronis victoriam pulcherrimè digreditur Poeta; Hiero enim, lauro potitus Delphica[f] ſalutatus eſt, Præcone renunciante, Hiero Ætnæus victor in Quadrigarum certamine.

——— ΝΑΥΣΙΦΟΡΗΤΟΙΣ
Δ' ἀνδράσι πρῶτα χάρις
Ἐς πλόον ἐρχομένοις, πομ-
παῖον ἐλθεῖν οὖρον· ἐοικότα γὰρ
Κἀν τελευτᾷ φερτέρου νό-
στου τυχεῖν. Ὁ δὲ λόγος
Ταύταις ἐπὶ συντυχίαις δόξαν φέρει
Λοιπὸν ἔσσεσθαι στεφάνοι-
σί τε ἵπποις τε κλυτὰν,
Καὶ σὺν εὐφώνοις θαλίαις ὀνομαστάν.

Ex his præſentibus, futuros etiam proſpicit ſucceſſus et auctiores. Si felicem ſibi reditum Nautæ ex felicibus auſpicantur initiis; quantus honor Ætnam, qui manent triumphi? quid non poſthac in ſacris Græciæ certaminibus illa conſequetur Civitas, cui tam illuſtrem ipſis pæne natalibus gloriam Hiero comparavit?

ΛΥΚΙΕ, καὶ Δάλοι' ἀνάσσων,
Φοῖβε, Παρνασσῶ τε κράναν
Κασταλίαν φιλέων,
Ἐθελήσαις ταῦτα νόῳ
Τιθέμεν, εὔανδρόν τε χώραν.

Hæc ut rata ſint, quis Ludorum Delphicorum patrono prior invocandus eſt? quis prior illo Qui, uti pæne verbum verbo reddidit Horatius,

Rore puro Caſtaliæ lavit
Crines ſolutos, qui Lyciæ tenet
Dumeta, natalemque ſylvam,
Delius et Patareus Apollo?[g]

[f] De Pythiadum inſtitutione, ludorum Delphicorum natura, et Amphictyonum τῶν ἀγωνοθετῶν officio conſulenti occurrunt Strabo in lib. 9. et Pauſanias in Phocäicis. Sufficiat hìc obſervâſſe certaminum panegyricorum antiquiſſima fuiſſe Pythia, in quibus primum eorum atque præcipuum memoratur, qui Παιᾶνα in Honorem Apollinis ob Pythona interfectum canerent: et etiamnum Pindari ſupereſt Pythium quod Midiæ tibicini Agrigentino inſcribitur. Alii et Delphis et Olympiæ ludi communes; quorum genera ex Diſſertatione in Lud. Olympic. omnino ſunt petenda.

[g] Lib. 3. Od. 4. ℣. 61.

ΣΤΡΟΦΗ Γ.

ΕΚ Θεῶν γὰρ μαχαναὶ πᾶ-
σαι βροτέαις ἀρεταῖς·
Καὶ σοφοὶ, ϗ χερσὶ βια-
ταὶ, περίγλωσσοί τ' ἔφυν. Ἄνδρα δ' ἐγὼ κεῖνον
Αἰνῆσαι μενοινῶν, ἔλπομαι
Μὴ χαλκοπάραον ἄκονθ' ὡσεί τ' ἀγῶ-
νος βαλεῖν ἔξω παλάμᾳ δονέων,
Μακρὰ δ' ἐκρίψαις ἀμεύσασθ' ἀντίους.

Nec temerè hoc quidem, aut sine causa votum instituitur; non enim aliunde quam a Deo omnis hominum felicitas, omnes derivantur virtutes. Has autem virtutes recensenti Pindaro statim obversatur Hiero. Et quidem μενοινῶν, ut ipse dicit, jam præceps et impetu concitato ad laudes Patroni sui delatus, conturbato sententiæ ordine, animi sui vehementiam optimè per Hyperbaton exprimit: Hyperbaton est enim, teste Criticorum maximo, οἱονεὶ χαρακτὴρ ἐναγωνίου πάθους ἀληθέστατος.[h]

At hunc locum integrum interpretum caligine infuscatum nitori suo restituit in Dissertatione de Ludis Olympicis vir Græcarum Antiquitatum peritissimus, qui Pindarum Anglicè loqui nuper docuit.[i] Promittit Poeta se in Hierone laudando veritatis limites minimè egressurum, facilè tamen omnes Carminis sui æmulos superaturum: metaphoricè enim loquitur, et quasi in Pentathlo; ubi, si quod aut dextrorsùm aut sinistrorsùm ultrà terminos præscriptos erraverit jaculum, irritum decidit. Hoc ex Nemeorum 7mo patet, ubi eadem locutio Metaphorica rei eidem applicatur;

Ἀπομνύω,
Μὴ τέρμα προβὰς, ἄκονθ' ὥσ-
τε χαλκοπάραον, ὄρσαι
Θοὰν γλῶσσαν.[k]

Dubitanter autem, nec sine hæsitatione loquitur vir ille eruditus, suspicatus sane τὸ τέρμα potius ad ipsum finem aut metæ extremitatem referri posse, quam ad terminos utrinque dispositos: non in mentem ei, puto,

[h] De Sublim. § 22. [i] Vide Dissertat. in Lud. Olympic. per Gilb. West Armig. ad pag. 61.
[k] ℣ 103.

venit

venit verſiculus Horatianus, qui, ex Gymnaſio et hoc ipſo Pindari loco ſumptus, judicium ſuum abunde confirmat;

ſæpe Diſco,
Sæpe trans finem Jaculo nobilis expedito.[l]

Suſpicor tamen, quod ſibi ipſi in hac figura nimius Poeta viſus fuerit; cum et in hoc et illo in Nemeis loco ὥτε et ὡσεὶ addiderit, ut hoc quaſi temperamento metaphoræ debacchantis violentiam deleniret. Et Longinus quidem ex Ariſtotele et Theophraſto obſervat audacium metaphorarum lenimenta eſſe ὡσπερεὶ φαναὶ, et ὡσεὶ, et ſimilia: Ἡ γὰρ ἐπιτίμησις ἰᾶται τὰ τολμηρά.[m]

Ἐι γὰρ ὁ πᾶς χρόνος ὄλ-
βον μὲν ὕτω, καὶ κτεάνων δόσιν εὐ-
θύνοι, καμάτων δ᾽ ἐπίλα-
σιν παράσχοι.

Quin et verbis optat ornatiſſimis, ut perennitatem felicitatis atque divitiarum conſequi poſſit Hiero, et præteritarum curarum oblivionem.

ΑΝΤΙΣΤΡΟΦΗ Γ.

Ἤκεν ἀμμνάσειεν ὅιαις
Ἐν πολέμοισι μάχαις
Τλάμονι ψυχᾷ παρέμει-
ν᾽, ἀνίχ᾽ εὑρίσκοντο Θεῶν παλάμαις τιμὰν,
Ὅιαν ὔτις Ἑλλάνων δρέπει,
Πλύτυ στεφάνωμ᾽ ἀγέρωχον. ——

A rebus etiam proſperè geſtis, et imperio Hieroni à libera Syracuſanorum civitate ſponte delato inſtituitur præconium. A ſingulari autem ad pluralem numerum (ἀνίχ᾽ εὑρίσκοντο) confugit Pindarus, quia gloriam, de qua loquitur, non ſolus Hiero aut per ſe acquiſivit; Gelo ſeſe in hujus famæ ſocietatem obtulit. Et quidem, ſi Diodoro fides ſit adhibenda, Gelonis unius virtutes hanc et ſibi et fratri ſuo palmam conciliaverunt: etenim in Nicolai oratione dicit Gelonem ex privato Syracuſarum principem evaſiſſe humanitate ſua atque munificentia;[n] et alibi, Syracuſanos violentiæ Hieronis infenſos et defectioni ſtudentes memoriam benevolentiæ Gelonis continuiſſe.[o]

[l] Lib. 1. Od. 8. ℣. 11. [m] De Sublim. § 32. [n] Hiſt. lib. 13. p. 342. [o] Hiſt. lib. 11. p. 276.

—— ΝΥΝ

—— ΝΥΝ γε μὰν,
Τὰν Φιλοκτήταο δίκαν ἐφέπων,
Ἐστρατεύθη. Σὺν δ' ἀνάγκᾳ μιν φίλον
Καί τις ἐὼν μεγαλά-
νωρ ἔσανεν. Φαντὶ δὲ Λαμνόθεν ἕλ-
κει τειρόμενον μεταλλάσ-
σοντας ἐλθεῖν

ΕΠΩΔΟΣ Γ.

Ἥρωας ἀντιθέους Ποί-
αντος υἱὸν τοξόταν·
Ὃς Πριάμοιο πόλιν πέρ-
σεν, τελεύτασέν τε πόνους Δαναοῖς,
Ἀσθενεῖ μὲν χρωτὶ βαίνων·
Ἀλλὰ μοιρίδιον ἦν.
Οὕτω δ' Ἱέρωνι Θεὸς ὀρθωτὴρ πέλοι
Τὸν προσέρποντα χρόνον, ὧν
Ἔραται, καιρὸν διδούς.

Notiſſima de Philoctete fabula; qua tamen uſus Poeta, pulcherrimè patronum ſuum laudat, pulcherrimè pro ſalute ipſius votum inſtituit. Rectè autem in Pythiorum tertio dicitur eo modo Deum res humanas miſcere ut nemini ſincera unquam contingat felicitas;

Ἓν παρ' ἐσλὸν, πήματα σὺν
Δύο δαίονται βροτοῖς
Ἀθάνατοι.[p]

Itaque nec præteritarum memoria victoriarum, nec imperii decus præſens Hieronem exemit ægritudine, aut dolorem morbi inveteraſcentis conſopivit. Quonam morbo implicitus fuerit, non niſi ex Scholiaſte diſcendum eſt: ille ex Libro deſiderato Ariſtotelis περὶ Γελώων πολιτείας ſcribit Gelonem morbo hydropico mortem obiiſſe; Hieronem vero Syracuſis ex renibus laboráſſe. Ineluctabile quoddam fuiſſe malum et humanis artibus cedere neſcium ipſe oſtendit Pindarus; ubi exoptat etiamnum vivere Chironem, ut efficaci illius et pænè divina ope ſanitatem Hiero aliquandò tandem conſequeretur.[q]

[p] ℣. 145. [q] Pyth. 3. ℣. 111.

ΜΟΙΣΑ,

ΜΟΙΣΑ, καὶ πὰρ Δεινομένει κελαδῆσαι,
Πείθεό μοι, ποινὰν τεθρίππων.
Χάρμα δ' οὐκ ἀλλότριον νι-
καφορία πατέρος.
Ἄγ', ἔπειτ' Αἴτνας βασιλεῖ
Φίλιον ἐξεύρωμεν ὕμνον·

Ad Dinomenem Hieronis filium digreditur Poeta; nec indecorè quidem: neque enim patris ſui victoriam a Dinomene alienam eſſe aut ipſe cenſet Pindarus, aut hoſtes Pindaricarum digreſſionum acerbiſſimi.

ΣΤΡΟΦΗ Δ.

ΤΩι πόλιν κείναν θεοδμά-
τῳ σὺν ἐλευθερίᾳ,
Ὑλλίδος ςάθμας Ἱέρων
Ἐν νόμοις ἔκτισσε. ———

Ætnæ ſcilicet modò reſtitutæ Dinomenem præfecerat Hiero, et ex Peloponneſo Lacedæmonios in novam coloniam duxerat: quod et ſatis confirmat Diodorus; Ἐκ μὲν Πελοποννήσου πεντακισχιλίους ἀθροίσας.[r] Et hic quidem miram Pindarus ſublimitatem carmini comparavit, transferendo ad urbis πολιτείαν verba quæ propriè ad domos tantùm aut murorum coagmentationem ſpectant: nec occultè nos docet quantum in Civitate benè collocanda Legum poſſint inſtituta; quantum, in conſervanda, munimento omni præſtantior Libertas.

——— ΘΕΛΟΝΤΙ δὲ Παμφύλου
Καὶ μὰν Ἡρακλειδᾶν ἔκγονοι,
Ὄχθαις ὕπο Ταϋγέτου ναίοντες, αἰ-
εὶ μένειν τεθμοῖσιν ἐν Αἰγιμιοῦ
Δωριῆς. ———

Dores autem appellantur Spartani, quod in Peloponneſum plurimæ Dorienſium deductæ eſſent coloniæ: et quænam iis eſſet lingua, ſatis inter alios auctores oſtendit Ariſtophanes; qui in Lyſiſtrate[s] præconem exhibet Lacedæmonium, eleganti Athenienſium theatro ludibrium. Neque Spartani tantùm, Dorienſium omnium illuſtriſſimi, ſed et aliæ

[r] Hiſt. lib. 11. pag. 267. [s] ℣. 987. Πᾶ τᾶν Ἀσανᾶν κ. τ. λ.

ejuſdem Peninſulæ Civitates idem ſibi nomen vindicabant: unde et Sophocles,

Ἐπεὶ γὰρ ἦλθον Ἄργος ἐς τὸ Δωρικὸν·[t]

Argivi enim eoſdem fundatores Heraclidas, eundem Ægimium agnoſcebant patronum: quod ex Pindaro liquet,

Καὶ Λακε-
δαίμονι, ἔν τ' Ἄργει, καὶ
Ζαθέᾳ Πύλῳ ἔνασσεν ἀλ-
κᾶντας Ἡρακλέος
Ἐκγόνους Αἰγιμιοῦ τε.[u]

Quam numeroſa ex matre hac fœcundiſſima derivata ſit ſoboles, confirmant non modò in Siciliam et Aſiaticam Doridem infinitæ pænè migrationes; non Dorica modò ſuaviſſimi Poetæ Muſa; ſed et Tarentini, Crotoniatæ, aliæque inferioris Italiæ nationes; ſed et, quæ multa manent in ipſa Romanorum lingua, non incerta Doriſmi veſtigia. Quum verò cæteræ matris ſuæ gentes eſſent immemores, Sicilia Græcam unicè jactabat originem; quod in Idyllio 15to oſtendit Theocritus.[x] Fœminis Syracuſanis Alexandriæ commorantibus, Doricè et patulo ore garrientibus, illudit vir quidam; ipſe, uti mos eſt illudentium, affectata imitatione atque apertiſſimo oris hiatu δωρίζων:

Παύσασθ', ὦ δύστανοι, ἀνάνυτα κωτίλλοισαι·
Τρύγονες ἐκκναισεῦντι πλατυάσδοισαι ἅπαντα.

Illæ reſpondent indignabundæ,

Μᾶ πόθεν ὤνθρωπος; τί δὲ τιν ἐι κωτίλαι ἐιμές;
Πασσάμενος ἐπίτασσε· Συρακοσίαις ἐπιτάσσεις;
Ὡς ἐιδῇς καὶ τοῦτο, Κορίνθιαι ἐιμὲς ἄνωθεν,
Ὡς καὶ ὁ Βελλεροφῶν· Πελοποννησιστὶ λαλεῦμες·
Δωρίσδεν δ' ἔξεστι, δοκῶ, τοῖς Δωριέεσσι.

——— ΕΣΧΟΝ δ' Ἀμύκλας ὄλβιοι,
Πινδόθεν ὀρνύμενοι,
Λευκοπώλων Τυνδαριδᾶν βαθύδο-
ξοι γείτονες, ὧν κλέος ἄν-
θησεν αἰχμᾶς.

[t] In Ced. Colon. ℣. 1296. [u] Pyth. 5. ℣. 92. [x] ℣. 87. et ſeqq.

Dores

Dores enim, qui in Peloponneſo conſederant, ex Theſſaliæ juxtà Pindum regionibus primò migraverunt. Iidem ſæpiſſimè Pelaſgi vocantur; ut apud Strabonem; καὶ τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἡ Θετταλία λέγεται, τὸ μεταξὺ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Πηνειοῦ, καὶ τῶν Θερμοπυλῶν, ἕως τῆς ὀρεινῆς τῆς κατὰ Πίνδον.[y]

ΑΝΤΙΣΤΡΟΦΗ Δ.

ΖΕΥ, τέλει᾽ αἰεὶ δὲ τοιαύ-
ταν, Ἀμένα παρ᾽ ὕδωρ,
Αἶσαν, ἀστοῖς καὶ βασιλεῦ-
σιν, διακρίνειν ἔτυμον λόγον ἀνθρώπων.

Amenes fluvius, qui et Amenanus, ab Ætna monte juxta Catanen deſcendit; de eo Ovidius,

Nec non Sicanias volvens Amenanus arenas
Nunc fluit; interdum ſuppreſſis fontibus aret:[z]

legendum eſt enim omnino Amenanus, non Amaſenus; etenim eadem planè de eodem flumine teſtatur Geographus à me ſæpiſſimè laudatus, de fontibus locutus periodicis; Καθάπερ περὶ τοῦ Ἀμενάνου συμβαίνειν φασὶ τοῦ διὰ Κατάνης ῥέοντος· ἐκλείπει γὰρ ἐπὶ πολλὰ ἔτη, καὶ πάλιν ῥεῖ.[a]

ΣΥΝ τοί τίν κεν ἁγητὴρ ἀνὴρ,
Υἱῷ τ᾽ ἐπιτελλόμενος, δᾶμόν τε γέ-
ρων τράποι σύμφωνον ἐς ἡσυχίαν.

Precatur Poeta ut, Hieronis filio paternis benè inſtituto conſiliis, diuturna Ætnæi frui poſſint tranquillitate. Hanc novam Patroni ſui Coloniam et in Nemeorum 9no, quod Chromio Ætnæo inſcribitur, laudat; et Deos orat, et etiam ſpondet omnia cœptis digna ingentibus:

Μοῖραν δ᾽ εὔνομον
Αἰτέω σε παισὶν δαρὸν Αἰ-
τναίων ὀπάζειν,
Ζεῦ πάτερ, ἀγλαΐαισιν
Δ᾽ ἀστυνόμοις ἐπιμίξαι
Λαόν.[b]

[y] Geogr. lib. 5. pag. 221. Pelaſgis nomen ab erratica vita impoſitum fuiſſe idem obſervat: Atticè enim πελαργὸς, ciconia. [z] Metamorph. lib. 15. ℣. 279. [a] Strab. lib. 5. pag. 240.
[b] ℣. 70.

Omnis

Omnis autem, quam et enixè rogat et promittit, felicitas cum ipso Hierone decessit: siquidem Catanæi, illo statim defuncto, regressi, et antiquam sedem vi occupaverunt, et Tyranni tumulum diripuerunt. Hæc Diodorus;[c] qui et Hieronem mortuum Heroicis apud Ætnam honoribus affectum fuisse declarat.

ΛΙΣΣΟΜΑΙ, νεῦσον, Κρονίων, ἅμερον
Ὄφρα κατ' οἶκον ὁ Φοί-
νιξ, ὁ Τυρσανῶν τ' ἀλαλατὸς ἔχῃ,
Ναυσίστονον ὕβριν ἰδὼν
Τὰν πρὸ Κύμας.

ΕΠΩΔΟΣ Δ.

Οἷα Συρακοσίων ἀρ-
χῷ δαμασθέντες πάθον,
Ὠκυπόρων ἀπὸ ναῶν
Ὅς σφιν ἐν πόντῳ βάλεθ' ἁλικίαν,
Ἑλλάδ' ἐξέλκων βαρείας
Δουλείας.———

Jam verò attendite, Auditores, quanta venustate, quanta insuper in digressionibus facilitate ad victorias Hieronis celebrandas deferatur. Quid enim tanta animi intentione Jovem implorat? quid, nisi ut Regem Civium paci invigilantem nulla aut Carthaginiensium aut Tyrrhenorum interpellet violentia? quid, nisi ut asperrimos illos Siculi nominis hostes, Hieronis virtutem jam satis expertos domi contineat præteritarum cladium recordatio? Hujus victoriæ meminit Diodorus.[d] Impetrârat enim a Carthaginiensibus Xerxes ut Siciliæ Civitates bello quam citissimè aggrederentur, dum ipse immensas Persarum copias in Græciam duceret: socios autem illos Persici Tyranni ad Himeram a navibus incendio summovit Gelo, et in terram descendentes pænè ad internecionem cecîdit. Nihil quidem in hac victoria recensenda de Hierone prædicat Diodorus; illa vero apud Cumas, quam de Tyrrhenis prædatoribus reportavit Hiero[e] neutiquam tanta fuit ut tam magnificis Poetæ nostri præconiis ornaretur. Itaque Pindarum credo, a Cumana exorsum, ad Himerensem victoriam,

[c] Hist. lib. 11. pag. 276. et 281. [d] Hist. lib. 11. pag. 253. [e] Diod. Sic. lib. 11. pag. 268.

Poeticâ

Poetica aut aſſentatione aut ἐνθουσιασμῷ, decurriſſe; et in poſteriori illa celebranda omnem ſpiritûs magnificentiam et eloquentiæ flumen effudiſſe: quæ cum uni eſſet propria Geloni, Δεινομένευς παῖδας miro quodam artificio inſeruit; eo ſane conſilio, ut et hiſtoricæ fidei conſtaret ἐπινίκιον, et in fraternæ gloriæ ſocietatem admitti Hiero videretur.*

——— ΑΙΡΕΟΜΑΙ
Παρ' μὲν Σαλαμῖνος, Ἀθηναίων χάριν,
Μισθὸν· ἐν Σπάρτᾳ δ' ἐρέω
Πρὸ Κιθαιρῶνος μάχαν·
Ταῖσι Μῆδοι μὲν κάμον ἀγκυλότοξοι·
Παρ δέ γε τὰν εὔυδρον ἀκτὰν
Ἱμέρα παίδεσσιν ὕμνον
Δεινομένευς τελέσαις,
Τὸν ἐδέξαντ' ἀμφ' ἀρετᾷ,
Πολεμίων ἀνδρῶν καμόντων.

Tanta fuit hæc Hieronis palma ut, teſte Pindaro, cum Salaminia et Platæenſi certet; tanta, ut Syracuſarum Tyrannus paribus cum Themiſtocle et Pauſania honoribus admoveatur: neque enim illos invictiſſimos Græcorum duces cenſet nominandos Poeta, donec Dinomenis filios gloriæ faſtis et æternitati commendârit. Nec abludunt quæ ab Hiſtorico jam laudato de Gelone apud Himeram victore prædicantur: Διὸ καὶ πολλοὶ τῶν συγγραφέων παραβάλλουσι ταύτην τὴν μάχην τῇ περὶ Πλαταιὰς γενομένῃ τοῖς Ἕλλησι, καὶ στρατήγημα τοῦ Γέλωνος τοῖς ἐπινοήμασι τοῦ Θεμιστοκλέους.[f]

ΣΤΡΟΦΗ Ε.

ΚΑΙΡΟΝ εἰ φθέγξαιο, πολλῶν
Πείρατα συντανύσαις
Ἐν βραχεῖ· μείων ἕπεται
Μῶμος ἀνθρώπων. Ἀπὸ γὰρ κόρος ἀμβλύνει
Αἰανὴς ταχείας ἐλπίδας.
Ἀστῶν δ' ἀκοὰ κρύφιον θυμὸν βαρύ-
νει, μάλιστ' ἐσλοῖσιν ἐπ' ἀλλοτρίοις.

* Quum parum ſana eſſet Interpretatio in hunc locum a me prius allata, idque etiam moneret Vir, cujus in omni diſciplina plurimum valet auctoritas; hanc de novo factam Lectori propono.

[f] Hiſt. lib. 11. pag. 254.

Abſolutis Hieronis laudibus, ſententias pro more Poeta ſubnectit; et eas paucis adeò concluſas verbis, ſed tum omnium, tum præcipuè Principum moribus inſtituendis optimè accommodatas. Videte vero, qua arte à victoriis enumerandis ad virtutes commendandas deferatur. Pauciora ſe dixiſſe ait quam aut ſui ipſius ſtudium, aut magna patroni ſui exigunt merita; brevitatem ſe et ſumma ſequi rerum faſtigia, ne in dicendo prolixitas ſatietatem ferat, et invidia ex laudibus accreſcat amplioribus.

'ΑΛΛ' ὅμως, κρέσσων γὰρ οἰκτιρμῶν φθόνος,
Μὴ παρίει καλά· νώ-
μα δικαίῳ πηδαλίῳ στρατόν, ἀ-
ψευδεῖ δὲ πρὸς ἄκμονι χάλ-
κευε γλῶσσαν.

Tu autem macte virtutibus, Hiero; nec à bona fama conſequenda dimoveare, comes licet aſſidua fortunæ eminenti adhæreat invidia. Hæc ſententia de contemnenda, imò, ſubeunda et excipienda invidia tanta eſt; ut illam præcipuè et κατ' ἐξοχὴν Pindaricam appellet Epigramma inter Græcorum Poetarum fragmenta adhuc ſuperſtes;

'Ο φθόνος οἰκτιρμῶ, κατὰ Πίνδαρον, ἐστὶν ἀμείνων·
'Οι βασκαινόμενοι λαμπρὸν ἔχουσι βίον.[g]

ΑΝΤΙΣΤΡΟΦΗ Ε.

"ΕΙ τι καὶ φλαυρὸν παραιθύσ-
σει, μέγα τοι φέρεται
Πὰρ σέθεν. Πολλῶν ταμίας
'Εσσί· πολλοὶ μάρτυρες ἀμφοτέροις πιστοί.

Memineris etiam, Hiero, te ſupra alios homines adeo evectum eſſe dignitate, ut omnes in Te facilè oculos conjiciant; omnes in Te tantæ dignitatis ſociam requirant virtutem: nec te lateat Principum vitiis obſcuritatem nunquam, nunquam prætendi poſſe excuſationem.

ΕΥΑΝΘΕΙ δ' ἐν ὀργᾷ παρμένων,
"Ειπερ τι φιλεῖς ἀκοὰν ἁδεῖαν αἰ-
εὶ κλύειν, μὴ κάμνε λίαν δαπάναις.

g In Antholog.

'Εξίει

'Εξίει δ' ὥσπερ κυβερνάτας ἀνὴρ
'Ιστίον ἀνεμόεν.
Μὴ δολωθῇς, ὦ φίλε, εὐτραπέλοις
Κέρδεσσ'.——

'Οργὴ hic in sensu minimè vulgari usurpatur: sic enim statuit Aristoteles; Ἔστω δὴ ἡ ὀργὴ, ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης, διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν, ἢ εἰς αὐτοῦ τινὰ μὴ προσηκόντως.[h] In bono autem sensu et hic et alibi apud Pindarum sumitur; ut

ὅσσον ὀργὰν
Ξεινοκράτης ὑπὲρ ἀνθρώπων γλυκεῖαν
Ἔσχεν·[i]

sæpe pro moribus quibus quisque præditus sit, ut in Ajace Sophocleo;

Κἄτ' αὐτὸν εἰσιδών τις ἐμφερὴς ἐμοὶ,
'Οργήν θ' ὁμοῖος.[k]

His versiculis, quod in Hierone reprehendendum erat, leniter sanè attingit Poeta. Nactus est enim patronum paulò ad rem attentiorem, immò, uti Diodorus ait, pecuniæ avidissimum;[l] ipse, ut Poetarum mos est, expendendæ potius pecuniæ quam conservandæ studiosus: quid enim de divitiis senserit, alibi ostendit;

'Ουκ ἔραμαι πολὺν ἐν μεγάρῳ πλοῦ-
τον κατακρύψαις ἔχειν.[m]

——'ΟΠΙΣΘΟΜΒΡΟΤΟΝ αὔ-
χημα δόξας

ΕΠΩΔΟΣ Ε.

Οἷον ἀποιχομένων ἀν-
δρῶν δίαιταν μανύει,
Καὶ λογίοις καὶ ἀοιδοῖς.
'Ου φθίνει Κροίσου φιλόφρων ἀρετά.
Τὸν δὲ ταύρῳ χαλκέῳ καυ-
τῆρα, νηλέα νόον,

h Rhetor. lib. 2. cap. 2. i Isthm. 2. ℣. 52. k ℣. 1172. l Ἦν γὰρ [Ἱέρων] καὶ φιλάργυρος. Hist. lib. 11. pag. 276. m Nem. 1. ℣. 44.

'Εχθρὰ

Ἐχθρὰ Φάλαριν κατέχει πάντᾳ φάτις·
Ὀυδέ μιν φόρμιγγες ὑπω-
ρόφιαι κοινωνίαν
Μαλθακὰν παίδων ὀάροισι δέχονται.

Hortatur etiam Patronum ut famæ ſuæ et nominis æternitati conſulat:

neque enim,
Si chartæ ſileant, quod benè feceris
Mercedem tuleris;

Muſa verò mentiri neſcia, et fideles Hiſtoricorum ſermones tantum laudis defunctorum hominum memoriæ tribuunt, quantum quiſque vivus promeruerit; ad quæ probanda oppoſita et quaſi ex adverſo collata Crœſi atque Phalaridis exempla proponuntur.

ΕΥ δὲ παθεῖν, τὸ πρῶτον ἄθλων·
Εὖ δ᾽ ἀκούειν, δευτέρα μοῖ-
ρ᾽. Ἀμφοτέροισι δ᾽ ἀνὴρ
Ὃς ἂν ἐγκύρσῃ, καὶ ἕλῃ,
Στέφανον ὕψιστον δέδεκται.

Poſtremò, et Coronidis loco docet quid faſtigium ſit, et apex humanæ felicitatis; ut ad amplectendam eam Hieronis animum accendat. Primas tenent partes ſolida illa rerum benè geſtarum præmia; honores, opes, et imperia quæ in præſtantiſſimos quoſque cives derivantur: ſecundum, nec contemnendum tamen, gradum fama ſibi vindicat; et nomen, cum memoria hominum, tum Scriptorum libris æternitati commiſſum. Quod ſi cui utriſque ſimul frui contigerit; næ, ille pulcherrimam capiti ſuo coronam impoſuit, mercedem virtutis ſuæ ampliſſimam conſecutus.

Et hæc quidem, Academici, in hoc ſolenni munere obeundo in nobiliſſimum Thebani Vatis Ἐπινίκιον contexuimus. Qualis Ille, quantuſque ſit, vobis licet vel ex his laboribus meis judicium facere. Habetis Poetam effuſiſſimi ingenii, mentis ardentiſſimæ, et ad ſublimia maximè aſpirantis; quæ omnia tamen eo modo caſtigantur judicio atque temperantur, ut non ita ſæpe ultra modum proſiliant: Habetis Poetam extra ſe

qui-

quidem sæpe, furore quodam Pythico, non extra materiem raptum; connexionis, sed et latentis et artificiosæ, studiosum; in quo nihil temerè congestum, aut male cohærens occurrit; sed pulcherrima series rerum inter se connexarum, et quæ venustatem non exiguam ex justa ducit collocatione: Habetis Poëtam Religioni unicè inservientem; nullis verborum lenociniis hominum animos ad vitia deflectentem; nec adeò Patronis suis obsequio devinctum, ut non quid et ipsis faciendum, ipsis sit fugiendum palam eloquatur. Quæ quidem in suo genere præstantissima sunt, ipse exposui; neque enim ad omnia recensenda aut tempus sufficit, aut latera nostra, aut vestra, credo, patientia. Id autem mihi de Pindari virtutibus pronunciandum est, quod de Therone suo Pindarus prædicavit,

Ἐπεὶ ψάμμος ἀριθμὸν περιπέφευγεν,
——— τίς ἂν φράσαι δύναιτο; [a]

[a] Olymp. 2. ad finem.

FINIS.

DE AFFECTIBUS ANIMI ET MORBIS inde Oriundis DISSERTATIO

HABITA

CANTABRIGIÆ

IN

SCHOLIS PUBLICIS

V^{to} Kalend. Februarias A. D. MDCCLV.

A

GEORGIO BAKER, M. D.

Collegii Regalis Socio.

(2)

CANTABRIGIÆ,

TYPIS ACADEMICIS EXCUDEBAT J. BENTHAM.

Veneunt apud GUL. THURLBOURN, et T. MERRILL, Cantabrigiæ; J. WHISTON & B. WHITE, et R. DODSLEY, Londini; R. FLETCHER, Oxonii; J. POTE, Etonæ; et A. ROGERS, Stamfordiæ.

M.DCC.LV.

VIRO ORNATISSIMO

ROBERTO TAYLOR

Colleg. Medicor. Londin.

ET

Reg. Societat. Sodali,

ET

Medico Regio Extraordinario,

GEORGIUS BAKER Sal.

CUM, apud Cantabrigienses nostros, de quæstione nonnullâ medicinali mihi esset nuper disserendum; rem me gratiorem Viris Academicis facturum fore in animum induxi meum, si materiem sumerem ab ipsorum studiis haud prorsùs alie-

nam; quam ſi aures rebus, vocabuliſque quaſi peregrinis obtunderem; aut tanquam nolenti ſtomacho medicinam meram ad faſtidium uſque propinarem. Indè orta eſt hæc, de Affectibus Animi, Diſſertatio; quæ, in publicum timidè ac dubitantèr emiſſa; et ab incertis auribus ad oculorum ſubtilius judicium tranſitura, ad te confugit, ſéque in tuam fidem, et clientelam tradit. Quémnam enim priùs Patronum ſibi exoptet opuſculum hoc Academicum; quam eum, cui egregia laus contingat Academiis noſtris tàm ornamento eſſe, quàm præſidio? Ad quem priùs deferatur Cenſorem hoc Tentamen medicum; quam Eum, qui Medicinam ita intimè ſciat, exerceatque tantâ cum felicitate, et plauſu; ut Nemo jam ſit, qui, in Arte noſtrâ, animo etiam aut ſpe majora ſuſcipiat, quin talem ſibi imaginem

imaginem proponendam putet, séque ad tale exemplar fingendum?

Tu vero hoc leve munusculum (quod tuæ ut placere possit elegantiæ vereor) pro singulari illo erga me studio, et benignitate, æqui bonique consule. Leve quidèm munusculum fero; at plurimæ observantiæ atque officii pignus. Existimationis meæ (si quæ demùm sit mea existimatio) periculum lubens facio; grati animi jacturam haud unquam facturus. Vale.

Dabam Stamfordiæ
Prid. Kalend. Julias
M.DCC.LV.

DISSERTATIO
DE
AFFECTIBUS ANIMI
ET
MORBIS inde Oriundis.

ETSI in Arte medicinali excolendâ, operam curamque haud mediocrem consumpserit omnis ferè seculorum omnium antiquitas; Recentiorumque laus sit hæreditatem, a majoribus traditam, eruditione suâ, atque inventis ampliâsse; Medicis tamen hodiernis non tam gloriandum est, artem consummatam undique, omnibusque esse numeris absolutam; quam dolenda Medicinæ fortuna, quæ, cum filios habuerit tali ingenio præditos, post tot exantlatos labores, ad certam Scientiæ stabilitatem nondùm increverit. Undénam id mali profluxisse dicam, nisi ex naturâ Hominis nullo humani ingenii acumine explorandâ; nec regulâ aliquâ uniformi

se patiente contineri, aut perpetua ferè ulla recipiente præcepta? Undénam profluxisse dicam, nisi ex causâ, quæ, teste divino Platone, Græcis olim medicis obsuerit, quó minus illi veram morborum indolem investigare possent, atque eruere? Τοῦτο καὶ αἴτιον εἴη τοῦ διαφεύγειν τοὺς παρὰ τοῖς Ἕλλησιν Ἰατροὺς τὰ πολλὰ νοσήματα, ὅτι τὸ ὅλον ἀγνοοῖεν, οὗ δέοι τὴν ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι· οὗ μὴ καλῶς ἔχοντος, ἀδύνατον εἴη τὸ μέρος εὖ ἔχειν. Neque vero coronam, capiti cum laude hærentem, ausim ego illis detrahere, qui artem, rudem olim, atque incultam, è tenebris, situ, ac barbarie, in lucem, et celebritatem eduxerint. Quadantenùs prodiisse prædicabile est aliquod, ac præ se ferendum, si ultrà progredi non detur. Ad interiores fabricæ humanæ recessus cultro Anatomico patefacta est via: Detecta sunt vascula incognita olim, et inaudita: De structurâ, usuque viscerum certi aliquod satis exploratè cognitum est, atque perceptum: Et de dirâ illâ, quæ Hominum animos invaserat, fingendi & opinandi libidine tandèm, pænè dixerim, triumphatum. Neque ii minimum meruerunt laudis, qui vim corporum latentem per ignes elicere, et nova inde rerum miracula promere sunt conati; viam,

viam, nullis priorum veſtigiis tritam, ingredi, et veſtigia Græca auſi deſerere. Horum alii quidem, ad rem privatam, magis quam medicam, attenti, pro iis, quibus avidè inhiârunt, divitiis, tenues ſine corpore formas amplexi ſunt, et evanida lucri ſimulacra. Alii tam præcipitis fuerunt, ac vehementis ingenii, ut, torrentium ad inſtar Peruvianorum, pretioſum auri, quo quidèm abundârunt, metallum, non niſi cum viliori arenâ, ac luto devolverent. Utrique profectò præclarè meriti ſunt de literis, et de Medicinâ; Viri præſtantis ingenii, ac incredibilis induſtriæ. Nimirùm illis, ſolùm inter ſomnia diteſcentibus, commune medicinæ ærarium locupletâſſe contigit. In hiſce, fluerent licèt lutulenti, haud unquam deerat quod velles tollere, nec quod proprium feciſſe erubeſceres. Nec ii illaudati abeant, qui animatum corpus iiſdem omninò legibus, quibus paret tota mundi univerſitas, ſubjicere non dubitârunt; licet parùm memores Medicinam non in unius corporis, ſed Hominis, qui animo et corpore conſtat, (rebus ſcilicet inter ſe diverſiſſimis) verſari cognitione; nec poſſe fieri, quin ars trunca ſit ac debilis, quæ varias corporis proprietates explorat, mentis verò rationes negligit, ignoratque; licèt memores

parùm quanta ſit animi vis et dominatio; quas accendat febres; quot denique modis hoc ſuum turbare poſſit, ac concutere domicilium tumultuoſus incola.

Nam quatitur ſanguis, nam viſcera perſentiſcunt
Omnia; poſtremò datur oſſibus, atque medullis,
Sive voluptas eſt, ſive eſt contrarius ardor.

Nempè hi ſunt Duces noſtri, et Anteſignani, quos, palmâ licèt non honeſtatos, fatendum eſt omnibus, et prædicandum non inhoneſtè contendiſſe: Et ſi ea eſſet diſciplinæ medicæ conditio, ut hæc perfecta fieri poſſet ſcientia, horum certè opibus, atque auxilio perfectiſſima dudùm fuiſſet.

Quod ſi illi, quibus teneri Adoleſcentium animi traduntur, ad virtutem præceptis inſtitutiſque erudiendi, varia corporum temperamenta intueri debeant; ſi Plato, ſi Pythagoras, aliique, non mediocres Viri, partem aliquam diſciplinæ ſuæ in Diætæ regulis collocârint; haud diſpar ſanè ratio exigit, ut ii, quibus officium eſt morbos corporis tam avertere futuros, quam præſentes tollere, quid animus facere poſſit ac pati, ſedulò contemplentur. Profectò, niſi hujus debita habeatur ratio, perit Anatomiæ, Chemiæque irritus

irritus omnis labor; et Mechanicâ de ſectâ Medici id tantùm intelligendo faciunt, ut nihil intelligant; oleum autem, operamque abutuntur, qui hæc tam inſtabilia naturâ, tamque incerta, ratione ſtabilire, et certa facere tanto cum molimine laborant. Nec Medico litem quis intendat, eò quòd alienæ meſſi falcem immittat; cum illa, quæ Philoſophorum eſſe propria videntur, ad ſe transferat, et arti accomodet ſuæ. Id enim Medicinæ Parens Hippocrates ſuâ olim auctoritate comprobavit. Δεῖ δὲ μετάγειν τὴν Σοφίην εἰς Ἰητρικὴν, καὶ τὴν Ἰητρικὴν εἰς Σοφίην.

Quæ cum ita ſint, Viri Academici, rem me tractaturum fore non minùs jucundam vobis auditu, quam uſu, et fructu ſalutarem ſpero, ſi præcepta Philoſophiæ (illud Ψυχῆς Ἰατρεῖον) quantum non modò ad vivendum benè, ſed etiam ad benè valendum conferant; et quantum liquidæ liberæque voluptatis eorum animis illabatur, qui animos nôrunt regere, cursìm vobis revocavero in memoriam. Recognoſcite autem, qui fructus ex his ſtudiis veſtris capiantur, cum eadem, quæ adoleſcentiam alunt, quæ ornant ſenectutem, faciant ſimùl ut alteri bona valetudo contingat; et ut altera lenior meliorque indiès

fiat,

fiat, et, pacatiſſimi fluminis ritu, intra alveum ſuum cum pace, et cum dignitate delabatur. An Lucianum igitur meritò miramur, qui Hominibus maximè longævis Sapientiæ Filios annumerat; cùm Plutarchus etiam multos memorat, et eos quidèm magnos atque nobiles Viros, qui, ope Philoſophiæ ſuæ, vitam ac mores ſpectantis, ex malo corporis habitu, et ex tenui, aut nullâ potiùs valetudine, ſpatium ſibi vitæ longiſſimum prorogârint; quos ſcilicèt nec metus convellere potuerint, nec ægritudines exedere, nec languidæ liquefacere voluptates. Quid Democritum, Parmenidemque memorem; quid Gorgiam, ac Protagoram, qui huic pulcherrimæ vitæ ſupellectili debuerunt, quòd non modò metam ſenectutis extremam attigerint; ſed, quod majus eſt, (cùm non ſit vivere, ſed valere, vita) ad finem longi itineris nec fracti viribus, nec tædiis viarum laſſi pervenerint?

Igitùr ab ultimâ vetuſtate, et ab ipſis adeò tum Philoſophiæ, tum medendi ſcientiæ incunabulis, hanc illius partem haberi ſolitam eſſe, Principeſque Sapientiæ Profeſſores (Pythagoram dico, et Empedoclem, et Democritum) medicinam exercuiſſe accepimus: Neque

Neque ob hanc cauſam ſolummodò (quam ponit Celſus) "quòd medicinam illi maximè "requirerent, qui corporum ſuorum robora "inquietâ cogitatione, nocturniſque vigiliis "minuiſſent:" Fas eſt enim exiſtimare Viros ſolertes, in mente contemplandâ diù multúmque verſatos, probè intellexiſſe quo vinculo, quâ cognatione illa cum corpore cohæreret; nec potuiſſe fieri ut laboraret illa, quin hoc paritèr ægreſceret; nec ut hoc ægrotaret, quin illa in conſortium morbi, ac ſocietatem traheretur. Ex horum ignoratione fit, ut, in curandis morbis, totiès incaſſùm trepidet officioſa ſedulitas, et multa intempeſtivè agendo, agat nihil. Quotieſcunque enim in culpâ eſt animus, quorſùm ſtomacho (Dii boni!) ingeritur medicamentorum illa omnis, ex ſingulis ferè elementis collecta undiquaque farrago; quæ profectò crumenam priùs ægrotantis, quam morbum ſunt exhauſtura? Optimum ſanè jam medicamentum eſt, a medicamentis prorſùs abſtinere. Num papaver ſomno perfuſum, ſuccúſve Mandragoræ fabuloſus, aut celebre illud, qualecunque demùm fuerit, Homeri pharmacum,

> Νηπενθές τ', ἄχολόν τε, κακῶν τ' ἐπίληθον
> ἁπάντων,

miſeros

miſeros animi ægrotantis tumultus demulcere poterit, aut dulcem elaborare ſoporem? Num per remedia Cardiaca, aut Analeptica, aut quocunque titulo nobilia, redibit illi vivus color, corpus ſolidum, et ſucci plenum, quem exſanguem jam macieque confectum, et quaſi alterum apud Inferos Tityum,

——— in amore jacentem
Dilacerant volucres, atque exeſt anxius angor,
Aut aliâ quâvis ſcindunt cuppedine curæ?

In hiſce morbis propinanda eſt non Galeni, ſed Socratis medicina; non illa è Pharmacopolarum officinis, ſed è ſcholis Sapientium haurienda. Neque enim tam fuit Hominum generi infenſa, atque inimica Natura, ut corporibus tot res ſalutares, animis nullam invenerit: Nec temerè dictum fuit illud Cöi Senis apophthegma, "Ἰητρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος."

Quamvis verò animi affectus, rectæ rationis fræna recuſantes, et inconſiderato impetu elati, non forìs ſolùm ſeditiones pariant, ſed in viſcera noſtra inteſtini debacchentur; errat plurimùm ſevera nimis eorum philoſophia, qui eos non tam moderandos eſſe, quam delendos contendunt; nec circumcidi debere, ſed extrahi ſtirpitùs, et toto pectore evelli.

Non

Non enim fruſtrà, ſed optimo ſupremi Rerum Conditoris conſilio (qui fruſtrà molitur nihil) fabricæ illi humanæ inſeruntur: Qui quidèm, quotiès nobis parent, Auræ cujusdam ſimiles eſſe videntur a puppi ſurgentis, quæ cœlum reficit, ac moderatur, facitque ut per tranquillum vitæ æquor Cymba humana tutò jucundéque naviget: Ubi autem imperium nacti ſunt, Rectore quaſi amiſſo, per undas volvimur, vento cuilibet ludibrium debituri.

Quod ad modum attinet, quo Mens ita in toto corpore dominetur, tum demùm ille ſenſibus noſtris demonſtrabitur, cum intimam Animæ naturam explorare, legémque perſpicere dabitur, quâ mortale æterno, extenſum inextenſo coëat; quonam hæc fœdere

Diverſis ita principiis ab origine primâ
Inter ſe fiant conſorti prædita vitâ.

Latent iſta, ac latebunt craſſâ occultata nocte, ac tenebris circumfuſa; ita ut nulla acies humani ingenii tanta ſit, quæ penetrare in Animam, qualique jungatur connubio, vel conjecturâ aſſequi poſſit. An verò hoc magnum quiddam, aut mirabile videtur,

 cùm

cùm corpora etiam nostra licèt secare, aperire, ac dividere possimus, quæ sit intima fibrarum constructio non detur scire? Ut verò quæstionem hanc perobscuram, de quâ tàm variæ sunt doctissimorum Hominum, tâmque discrepantes sententiæ, sicco pede, atque intactam prætervehamur; ad ea, quæ facilè deprehendi possunt, animos et orationem convertere operæ pretium erit, nec injucundus labor.

Iracundia (a veteribus Medicis haud ineptè parva febris, ac brevis Epilepsia dicta) quantum in Homine turbarum excitet, magis in promptu est ex Pictorum laboribus, aut Poëtarum depromere; quam singula ista lentâ oratione enarrare, quæ tam fluidæ, quam solidæ corporis partes momento temporis patiantur. "Ut scias (inquit Seneca) non esse "sanos, quos ira possidet, ipsum intuere habitum." Nihil adeò in corpore est sui simile; in mente nihil sui potens. Alius vultus, alius color, alius membrorum gestus, injussi musculorum motus, tremores non coërcendi, Cordis arteriarumque pulsus non naturales, alimenti coctio, nutrimenti distributio, humorum circuitus, secreta atque excreta omnia, universa denique Hominis confusa

fusa temerè, ac turbata compages. Ubi autem (ita ut fit) tanta sanguinis moles è venis ad Auriculam dextram præceps ruit, adeò ut Cor opprimatur quasi oneri sustinendo impar; inde sequitur palpitatio, et illa, nec toleranda quidèm, nec facilè describenda, anxietas: Id quod Homerum (in rebus Naturæ pingendis felicitèr audentem) haud latuisse pœnè quis crediderit:

Ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ.

Hinc etiam spiritus creber ducitur, atque anhelus: Quod ni fieret, Pulmonum arteriis continuo sanguine turgescentibus, spatio temporis perquam exiguo, de vitâ actum esset, atque conclamatum. Quid enim Sulla (si Valerio fides sit habenda) dum impotenti iracundiæ æstu extra se abreptus est? Nónne multo alieno sanguine effuso, erogavit ultimò et suum? Puteolis enim ardens indignatione, quod Granius, Princeps ejus coloniæ, pecuniam ad refectionem Capitolii cunctantius daret, spiritum cruore et minis mistum evomuit; ita ut in dubio esset Sulláne prior extinctus fuerit, an Sullæ iracundia.

Porrò Glandulæ, quotquot sunt, salivales haud parùm laborant: Undè oritur sitis illa

 vehemens,

vehemens, nec facilè restinguenda; faucesque asperæ; et lingua, tanquam febre ardentis, arida.

Undè verò hæc tanta Homini mutatio, ut non cognoscas eundem esse? Undè, nisi a membranis, vasculisque spasmo contractis, qui sanguinem ad superiora agitat, et eâdem simul vi prohibet ne in alveos suos vitale flumen revolvatur? Hinc facilè quidem fit, ut Arteriolæ plexûs Choroeidëi perrumpantur; unde Apoplexia, quæ audit sanguinea. Hinc in meningibus cerebri inflammatio, Cephalalgia, Vertigo, Phrenitis.

Licèt vero hæc animi perturbatio in superioribus has tragœdias moveat, ita ut illic exhauriri prorsùs credideris virus ejus omne, omnemque nocendi vim; latiùs tamen in Ventriculum, et in viscera abdominis universâ sævit intestina calamitas. Ventriculum in hoc communi tumultu laborare, mirabitur nemo, qui ex Anatomiâ didicit quam exquisito sit ille sensu præditus; quotque illi Nervorum propagines inserviant; quam longæ eorum ambages, atque implexus. Inter medicas Tulpii historias, exemplum est Volvuli ex iracundiâ orti, mirum, si quod aliud, ac memorabile. Ductus Hepatis

patis biliarios inde affici, res eſt tam vulgaris, ac populari uſu comprobata, ut, in Idiomate Romano, bilem movere, ac iracundiam, perindè ſonet. Hinc, canalibus ſpaſmo conſtrictis, aut in quaſcunque corporis partes diffunditur flavus humor (idemque fit, quod dolori interdùm colico, aut ictibus viperarum ſupervenit; unde urina bile tincta, oris amarities, et gravis quidam ad ſcrobiculum cordis dolor) aut præceps fertur in Inteſtina; unde nauſea oritur, vomitiones, Diarrhæa, dolores acuti, febres bilioſæ. Deficeret priùs et dies, et patientia veſtra, quam ſermone complecti poſſem quas muſculorum paralyſes; quas narium, pulmonis, uterique Hæmorrhagias ſoleant excitare hi motus animorum; quàm ſint illi Hyſtericis, quam Puerperis reformidandi.

In venenis, ea principem ſibi locum vendicant, quæ a Regno, quod aiunt, animali proveniunt: Et conſtat eò nocentiora eſſe Animalia, quò calidioris temperamenti ſunt, et quo iraſci faciliora. Eadem illa, quæ in Aſiâ, Italiâ, atque Siciliâ tanto ſunt Incolis terrori, in frigidiore cœli tractu adeò ſolent miteſcere, ut non ampliùs virus habeant morſu, nec fatum dentibus minentur. Irritata verò ad iram,

furore

furore simùl, ac veneno armantur; et tùm demùm quasi induunt facultatem nocendi; cùm nocendi libidine exardescunt. Aquæ pavorem (qui non, nisi ex rabiosi Animalis morsu, oritur sæpissimè) ortum sine externo aliquo contagio describit Cælius Aurelianus: quod etiam fide suâ confirmat Borellus. Hisce vim ac pondus adjicit Juvenis cujusdam, mandata literis, historia, qui, dum iracundiâ totus excandescebat, digitum momordit suum; unde brevi factus est Hydrophobus. Quod si cui mirum hoc narrari, et vix credibile videatur, contempletur velim vulgare hoc, ac ferè quotidianum phænomenon; Infantes scilicèt, ex hausto lacte Nutricis, irâ perculsæ, quos spasmos, quæ alvi tormina, vomitiones, diarrhæas subeant.

Magni, subitique Terroris comites sunt tremor, frigus, pallor, et tota corporis contracta superficies; quem idcircò Poëtæ (haud sordidi ii Naturæ interpretes) gelidum, pallidumque appellarunt. Hunc vero affectum nuspiàm vel apud Poëtas, vel Philosophos invenies meliùs, non adumbratum modò, sed etiam expressum, quam in hisce Lucretii versibus, Poëtæ ejusdem ac Philosophi.

— Ubi

— Ubi vehementi magis est percussa metu Mens,
Consentire Animam totam per membra videmus;
Sudores itaque, et pallorem existere toto
Corpore, et infringi linguam, vocemque aboriri,
Caligare oculos, sonere aures, succidere artus.

Nullâ mali causâ vel in solidis, vel fluidis latente, per merum animi motum excitantur eadem omninò, quæ Paroxysmo febrili præcedere solent, phœnomena. Usque adeò constringitur cutis universa, ut venæ prorsùs occultentur. Tanto confestìm impetu Cor versus, Pulmonemque agitur sanguis, ut ferè utrumque obruat. Hinc illa circum præcordia anxietas; hinc Dyspnæa; hinc pulsûs debilitas, et frequentia. Cor autem, mole oppressum, celeriori quodam motu, et inordinato laborat.

Ἐν δέ τέ οἱ κραδίη μεγάλα στέρνοισι πατάσσει.

—— Exultantiaque haurit
Corda pavor pulsans. ——

Terroris, et Iracundiæ diversos inter se, dissimilesque effectus pulcherrimè, pro suo more, pingit Galenus. Φόβος δὲ καὶ θυμὸς, ὁ μὲν εἴσω τὲ, καὶ πρὸς τὴν ἄρχην ὑπάγει, καὶ συστέλλει τό τε πνεῦμα, καὶ τὸ αἷμα, σὺν τῷ καταψύχειν τὰ ἐπιπολῆς· ὁ δέ ἀποτείνει τε καὶ χεῖ,

καὶ

καὶ θερμαίνει· καὶ τοίνυν καὶ οἱ σφυγμοὶ τῶν ἀρτηρίων μικρότατοι μὲν, καὶ ἀτονώτατοι τοῖς φοβηθεῖσι, μέγιςοι δὲ καὶ σφοδρότατοι τοῖς θυμωθεῖσιν. Terror itaque, apud Ciceronem, fuga quædam animæ, et receſſus ad interiora, optimo jure dicitur. Quas autem non movet tragœdias, ubicunque ſedem ſortitur, ſanguinis temerè agitati error, et impotentia! Inde Nervorum diſtenſio; Epilepſia; facultas imaginatrix læſa; cerebrumque mille modis perturbatum.

> Denique concidere ex animi terrore videmus
> Sæpe Homines. ——

Muſculi nimirum tanquam ex Paralyſi reſolvuntur momento temporis, animuſque illicò cum toto corpore deliqueſcit.

——λύτο γούνατα, καὶ φίλον ἦτορ.

Hæc autem levia ſanè et mediocria videntur mala, cum conſtat hanc animi perturbationem ipſum Cor paralyſi aliquandò affeciſſe; Hominesque è medio præcipitâſſe, ictu fulmineo potentiorem. Quod fit (uti Galenus elegantèr monet) ὅταν ἀσθενὲς φύσει ψυχάριον ἰσχυρῷ πάθει κατασχεθὲν, ἀθρόως κατασβεσθῇ τε, καί καταπνιγῇ.

Non-

Nonnulla etiam excrementa, quæ in utilitatem vitæ nostræ instituit providens Natura, suscepto metu, sisti protinùs, et cessare, res est Medentibus nimiùm familiaris. Notum est nimis quam gravis sit ille Puerperæ, Lactantique; abortus scilicèt indè nasci cum lethali hæmorrhagiâ; sisti lochia; coire lac; obstructasque mammarum glandulas in tubercula ac schirros indurescere; unde ulcera mali moris, horrendúmque tandèm carcinoma.

Quid, quod animi terror morbis, quotquot propagantur ex contagio, viam munire, ac præsternere videatur; ita ut pestilentis veneni semina vel indè generari posse, in mentem induxerint quidam multi nominis scriptores? In oppidis, bello oppugnatis, maligna illa febrium, ac gravis natura ab hâc causâ, quâdam saltèm ex parte, originem ducit; cùm Homines aut timore mortis, aut cæsorum desiderio, aut servitutis metu ita toti occupantur, ut morbo nec avertendo pares sint, nec ferendo. Diemerbroeckius se tranquillo suo, hilarique animo acceptum retulisse credidit, quòd, dum inter Homines peste laborantes indiès versabatur, liber ipse contagio evaserit. Cui quidèm suffragantur sententiæ illa, quæ de peste

obſervavit olim Thucydides; haud aliud ſcilicèt ſaluti inimicum magis fuiſſe, quam ſalutem nullam ſperare; ipſámque adeò mortis formidinem mortem brevi futuram prænuntiare. Δεινότατον δὲ πάντος ἦν τοῦ κακοῦ ἡ ἀθυμία, ὁπότε τις αἴσθοιτο κάμνων· Πρὸς γὰρ τὸ ἀνέλπιστον εὐθὺς τραπόμενοι τῇ γνώμῃ, πολλῷ μᾶλλον προΐεντο σφᾶς αὐτοὺς, καὶ οὐκ ἀντεῖχον. Eandem planè ſententiam, linguâ donatam Romanâ, agnoſcite apud Lucretium; qui ſanè, in peſte Athenienſium deſcribendâ, Thucydidem ita interpretatur, ut vim ſimùl Hiſtorici exprimat, ſimùl augeat majeſtatem.

Illud in his rebus miſerandum, et magnoperè unum
Ærumnabile erat, quòd ubi ſe quiſque videbat
Implicitum morbo, morti damnatus ut eſſet,
Deficiens animo, mœſto cum corde jacebat
Funera reſpectans, animam et mittebat ibidèm.

Nec diſſimilis eſt Variolarum ratio. Quotiès enim fit, ut, dum Medici fauſta omnia, omnia ad ſalutem augurantur, ſuſcepto aliquo terrore, repentè pus omne ac venenum in ſanguinem, tanquam per externi frigoris vim, repellantur! Indè naſcitur gravis, atque oppreſſus ille arteriarum pulſus, debilitatâ

Cordis

Cordis machinâ, vaſculisque in fluida ſua minore vi contractis. Inde retinentur in corpore, quæ excerni debent; et eodem tempore major fit moles movenda, vis motrix minor. Adeóque facilè cuivis hæc contemplanti liquet, quam neceſſè ſit illi, qui ad morbi hujusce curationem ſe accingit, tam animi, quam corporis temperamentum ſtudioſè intueri; nec ità perpetuò in verba Magiſtri ullius jurare, ut non aliquandò a Mortoni partibus, Sydenhami aliquandò transfugiat. In hoc autem miſerrimo rerum ſtatu, niſi ad regimen calidius, niſi ad Veſicantia, tanquam ad ſacram anchoram, confugias, næ tu medendo parùm proficies. Quò magis mirari ſoleo morbum, tum per ſe gravem, tum ob ſubitas affectionum vices, et Ægris, et Medentibus, vehementèr (ſi quis alius) formidandum, Muliercularum curæ haud rarò committi: Quaſi profectò tali auxilio, aut iſtis Defenſoribus res illa eſſet expedienda, quæ conjuncta Medicorum conſilia, totámque materiem medicam totiès eluſerit.

Morbi mentis, hactenùs memorati, meritò inter acutiſſimos ſunt recenſendi; ſub quibus (ut cum Celſo loquar) aut ſanitas in propinquo eſt, aut exitium. Triſtitia autem lentiori

paſſu, ac pedetentìm procedit; veneni illius haud abſimilis, quod tam peritè temperare Barbaros famâ perhibetur, ut vitæ humanæ ſtamina ſensìm depaſci nôrint, et longâ morte minutatìm conſumere. Proprium autem eſt quoddam, ac peculiare Triſtitiæ, ſolidas corporis partes labefactare, et ſolvere. Unde apud Ciceronem diſcimus hanc ægritudinem λύπην (quaſi λύσιν ſolutionem) fuiſſe olim a Chryſippo dictam. Hujuſce rei grave nupèr exemplum præbuit Vir magni in primis, et præſtantis ingenii. Is, poſtquam Hiberniam ſuam Poëſi, leporibúſque Atticis, et eloquio ornaverat; dolens uſque parem meritis non reſpondiſſe favorem, et obſervantiam; paritérque amicis, inimicis, et ſibi iratus, tandèm in meram Homunculi imaginem, et quaſi umbram extenuatus eſt. Cùm autem (propè actâ jam atque decurſâ ætate) præ tantâ morum aſperitate, et immanitate naturæ, Mens illi ſubverſa eſſet; et ingenium illud excelſum, ſublime, et eruditum turpiſſimè deliraret; illicò animatum Senis cadaver nutriri cœpit, et pingueſcere, ab Hoſpite tam gravi liberatum.

Ex Triſtitiâ ortum ſuum, et incrementum ducere Scorbutum, res eſt tot comprobata exemplis,

emplis, ut Eugalenus (cui ſanè magna fuit exercitatio medendi, nec mediocre ingenium) aſſerere non dubitaverit, eum, inter ægros ipſi commiſſos, aut huic cauſæ ſemper, aut victui craſſo ſuperveniſſe. Hoc inſigni ſatis argumento confirmat itineris Nobiliſſimi Thalaſſiarchæ Britannici Scriptor; non otioſus ille, atque umbratilis Hiſtoricus, ſed qui navigationis longæ miſeriis, pars ipſe magna, interfuit; quique tum legenda ſcripſit, tum ſcribenda et fecit, et paſſus eſt. Quotiès Nautis contigit aliquod adverſi, quodque ſpem redeundi ad ſuos minueret, auctis ſtatìm viribus increvit morbi furor; adeò ut perirent quidèm quotquot in ultimo morbi gradu verſabantur; alii verò, qui, languida membra trahentes, munere ſuo fungi aliquantulùm poterant, lectis illicò affigerentur morituri.

Ex hoc affectu præcipuè laborant viſcera abdominis, uti diſertè monet Hippocrates. *Φρόντις νῦσος χαλεπή· δοκέει δὲ ἐν τοῖσι σλπάγχνοισιν ἦιναι οἷα ἄκανθα, καὶ κεντέειν.* Fracto viſcerum elatere, ſanguini venæ Portarum injicitur major ſolito mora; unde ille omni momento ſpiſſior fit, ineptiorque ad motum; et in Hepate, in Liene, in Pancreate

create vaſa ſensìm obſerat, viamque occludit ſibi. Hic eſt, aut nuſquam eſt, atrabilarius humor, a veteribus adeò Medicis decantatus; cui cauſa eſt frequentiſſima in unâ aliquâ contemplatione ingratâ mens diù defixa. Ἦν φόβος, καὶ δυσθυμία πόλυν χρόνον διατελέῃ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον. Inde ſequuntur illa Melancholicis ſolennia, Spectra ſibi adſtantia fingere, Dæmonumque, pænarumque apud Inferos æternarum horrendæ imagines. In Religione omnia hæc inſunt mala: Religione, inquam, non illâ ſimplici, et illibatâ, et qualis a cœlo deſcenderit; ſed falſâ, et pollutâ fraudibus; quæ rugis, ſupercilioque ſe commendat; qualiſque a Viris aſtutis ficta eſt atque excogitata, eâ mente ac conſilio, ut in conſcientias Hominum, gravi laborantes ſub jugo, latiùs dominentur; et perdant faciliùs, quos dementaverint priùs. Et pudet, et piget memorare quid animi, corporiſque etiam inſaniæ ex hoc fonte profluxerit. In hoc morbo, egregium eſt quoddam, ac mirabile, quantùm mutetur, quam diſſimilis ſit ſui tota corporis humani compages; dum Mens, ſtatione quaſi relictâ, peregrinari videtur a ſenſibus; nervique tanquam ex Paralyſi obſtupeſcere; quos nec

vis

vis Papaveris demulcere novit, niſi maxima; nec remedia, niſi quæ acerrimâ donantur virtute, aut ad dejectiones, aut vomitum irritare. Indè fit, ut tantum Medentibus faceſſere ſoleat negotii àtra hæc bilis, viſceribus tàm pertinacitèr infixa; non illa interdùm medicamentis, non omni trium Anticyrarum Elleboro expellenda.

Atque hæc de Triſtitiâ. Invidiæ, cognatæ illi quodammodò, atque congeneri, (cùm non ſit hujuſce loci, aut temporis ſingulos animi affectus circumire, ſed tantùm ſumma eorum quaſi delibare faſtigia) diù immorari ſupervacaneum fore duco. Hæc eſt Hoſpes humani pectoris moleſtiſſima, hæc inteſtina peſtis, quæ ſanguine, humoribusque noſtris malum ſuum immiſcet virus; quæ

Intactis vorat oſſibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.

Etiam in tenellâ Hominis ætate, ipſisque adeò incunabulis (mirum eſt, quod dicturus ſum, at experientiâ ſatis pervolgatum) produnt ſe haud obſcura quædam Zelotypiæ ſigna; ità ut Infantulum videre liceat ex hoc affectu, tanquam tabe, miſerrimè extenuari, ac langueſcere; non, niſi rivali Infantulo

fantulo aut amoto oculis, aut magis de induſtriâ neglecto, arte ullâ, aut auxilio Medicorum a gravi morbo liberandum.

In hoc morborum agmine, de malo Hypochondriaco, coràm Viris Academicis, minimè ſuperſedendum eſt loqui; vario illo, ac multicolori monſtro, ſeque in omnia morborum miracula convertentis. Hoc a Melancholiâ non tam genere diſcrepat, quam gradu; nec tam alia eſſe ægritudo videtur, quam ægritudo minor. Utriuſque eadem ferè eſt origo, nec diverſa ſedes. Hoc morbo luctantur omnes pænè literarum cupidi; quibus nocet, junctis viribus, nimia ſimùl corporis quies, ſimùl nimia animi contentio. Nihil enim, Celſo judice, æquè frangit robora, atque debilitat, ac inquieta cogitatio. Malo autem hocce præcipuè tentantur ii, qui Muſas colunt ſeveriores, et quos juvat duro nimiùm labori indulgere; quorum animus totiès velox abit, oblituſque corporis, ut huic cum illo nihil ferè intereſſe conſortii, aut ſocietatis videatur. Indè nihil in corpore ſani, atque ſinceri; lædi ſtomachus, et ciborum coctio; materieſque mille morborum naſci ſensìm in viſceribus, atque accumulari. Beatiores, qui negotium cum otio ita ſapientèr miſcere, ita

literarum

literarum disciplinam agitare solent, ut ea, quæ animo præcipuè omnium necessaria est, non sit inimica corpori; qui, dum hunc alere student, atque ornare, simùl, datâ operâ, cavent, ne quid illud detrimenti accipiat; aut in secundâ valetudine, adversæ præsidia consumantur! Beatiores, qui id maximè sectantur studiorum genus; ex quibus dulce simùl cum utili fluat; et cum scientiâ rerum ingenua quædam enascatur oblectatio! In omni autem Encyclopædiâ, nihil vitæ, ac valetudini utilius est, quam Naturæ contemplatio; undè mentem exercet simùl, reficitque jucundissima divinorum operum varietas; laboribusque aliquam levationem affert ipsa laborum vicissitudo. Absit verò, ut in rerum Metaphysicarum tenebris; absit, ut inter sterquilinia Criticorum vitam agentes, aut Lethargi sensìm obrepentis inertiâ, aut languidi Hydropis obruamur diluvio!

Nec nihil nocet, affectibus licèt his tam contraria, ac dissimilis, Lætitia. Paritèr illa cum mœrore animum pervertit, paritérque fit Melancholiæ parens: Lætitia, inquam, insolens, et inopinata: Gaudio enim placidè movetur animus; Lætitiâ exultat, gestitque, et extra se rapitur. Ex quo pendet Aphoris-

mus ille Sanctorii, "Victoria moderata salu-
"brior quam gloriosa." Anno hujusce seculi Vicesimo (ex Annalium sanè nostrorum monimentis, si fieri posset, eruendo) plures mente captos fuisse memoriæ proditum est, in quos prodigus Fortunæ favor amplissimas opes profuderat; quam quos iniqua bonis omnibus, et omni patrimonio nudaverat. Non desunt Hominum exempla, quos momento temporis pessundederit vehemens exultatio; Animâ quasi interclusâ, et vim magni motûs non sustinente. Ideóque hanc aliis Apoplexiæ causis merito jure annumerat Aretæus. *Παρέλυσέ κοτε χάρμα ἀδόκητον, καὶ μέγα, καὶ γέλως ἄσβεστος μέχρι θανάτου.* De Rhodio Diagora celebrata historia est. Is tres filios suos (unum pugilem, luctatorem alterum, tertium pancratiasten) vidit omnes vincere, coronarique eodem Olympiæ die: Cúmque eum Adolescentes amplectebantur, coronis in caput Patris positis; cúmque Populus gratulabundus flores undique in eum jaceret; ibi ille in stadio, copiâ, atque turbâ, et quasi ruinâ incidentis gaudii oppressus, vitam efflavit. Quid de Sophoclis morte plura memorem, aut Dionysii Siciliæ Tyranni, utriusque in Poëtarum certamine Victoris,

quos

quos fama eſt furorem ipſum, et impotentiam lætitiæ uno quaſi ictu exanimâſſe?

In turbis hiſce ferendis, mirum eſt ſanè, Homini Homo quantum præſtet. Quæ res non ad aliam cauſam referri debet, quam ad varia temperamenta. "Quemadmodùm "enim (ut cum optimo Sydenhamo loquar) "Homo quidam exterior conſpicitur ex par-"tibus ſenſui obviis compaginatus; ita pro-"culdubiò et interior quidam eſt Homo, è "debitâ ſpirituum quaſi fabricâ conſtans, "ſolo rationis lumine contemplandus. Hic "vero, cum temperie corporis intimiùs "junctus, tantò ægriùs faciliúſve de ſtatu "ſuo dejicitur, quantò major eſt, minorve, "quam a Naturâ ſortimur, principiorum "conſtituentium firmitas." Atque ex hâc diverſâ Hominum conſtructione ducitur varia illa corporum odoratorum vis. Moſchi Zibethique virtute adèo reficiuntur illicò nonnulli Homines, ut a morte ferè vindicari aliquandò videantur. Sunt, quibus nimius ſit violæ odor; quibus Roſæ intolerabilis fragrantia. Nec aliundè fieri exiſtimo, ut, morbo aliquo populari debacchante, aliis eo corripi facillimè contingat; aliis impunè liceat eo-

dem aëre veſci, et in eâdem contagione verſari.

Porrò, quemadmodùm variæ Hominum ætates variis moribus diſtingui ſolent; et alia mobilium annorum, alia maturorum ſtudia eſſe, atque oblectamenta; ità etiam morbos quoſdam proprios ſibi, ac peculiares ſingulæ ferè vitæ partes ſortiuntur. Idem ille animi ferventis ardor, qui Juvenes in libidinis intemperantiam agitat, peſſimis febrium flammis miniſtrat pabula; eoſque, Pancraticè modò valentes, è medio vitæ, voluptatumque curriculo haud rarò dat præcipites. Senes autem, qui res omnes lentè ſolent, gelidéque miniſtrare, non, niſi lentiori, gelidoque morborum agmine, plerumque conſumuntur.

Caveant ſibi ii præcipuè ab his animi perturbationibus, quibus præcordia è molliore quaſi luto finxit Natura; quibùsque tam tenera eſt, tamque delicatula nervorum habitudo, ut nec aliquam voluptatis inſolentiam, nec inuſitati doloris ſtimulos impunè patiantur. Caveant, inquam, ſi apud illos pretii ſit alicujus valetudo ſua; ſi vitanda ſit Hæmoptyſis, aut ſi Paralyſis pertimeſcenda.

Caveant etiam ſibi omnes, quotquot Podagræ obnoxii ſunt. Iis animi tranquillitatem omni ope ſtabiliendam eſſe, auctor eſt, qui morbi atrocis vim tum expertus eſt ipſe, tum aliis conſilia dare, quæ ipſis uſui forent, novit optimè, Sydenhamus. Neminem autem Hominum ferè eſſe credo, quem Podagra aliquotiès vexaverit, quin lugubri ipſe experimento comprobaverit, quàm vera ſit hæc Sydenhami ſententia. Nec verò morbo huic ſolùm excitando favent vehementes animi affectus; ſed etiam haud raró fit, ut, quorundam venenorum ritu, ipſi in remedium tranſeant; morbumque nervis, priús ceſſantem, dicto citiùs, et quaſi magicâ quâdam virtute excutiant. Ii itaque, ut mihi quidèm videtur, maximo in errore verſantur, qui cauſam Podagræ latentem in cacochymiâ, neſcio quâ, humorum ſemper quærunt; cùm tantam ſanguini circumeunti mutationem tantillo temporis intervallo fieri poſſe, incredibile prorſùs videatur.

Inter prima Antiquorum remedia extitiſſe Muſicam, tùm monimenta ipſorum, tum iſtius medendi rationis veſtigia quædàm, quæ ætas nondùm delevit, abundè conteſtantur. Muſicæ autem in eo ſita eſſe videtur

vis omnis, ut animum vel languescentem excitare possit; vel tumentem, et iras attollentem pacare leniter, ac demulcere; et inde nervos, fibrillasque corporis in concentum quendam, atque harmoniam trahere. Ἐπαοιδῇ αἷμα κελαινὸν ἔσχεθε vetustissimus Poëtarum Homerus. Et Æsculapium (qui, quoniam rudem hanc scientiam paulò subtiliùs excoluit, in Deorum numerum receptus est) carminibus fuisse in medendo usum accepimus. Audite Pindarum hæc inter divini Senis instrumenta medica recensentem; haud vilia illa, aut contempta, credo, tunc temporis, remedia, cum iis principem etiam locum concesserit Poëta.

Τὺς μὲν ὦν ὅσσοι μόλον αὐτοφύτων
Ἑλκέων ξυνάονες, ἢ πολιῷ
Χαλκῷ μέλη τετρωμένοι,
Ἢ Χερμάδι τηλεβόλῳ,
Ἢ θερινῷ πυρὶ περ-
-θόμενοι δέμας, ἢ
Χειμῶνι, λύσαις ἄλλον ἀλ-
-λοίων ἀχέων,
Ἔξαγεν, τὺς μὲν μαλαχαῖς
Ἐπαοιδαῖς ἀμφέπων,

Τὺς

Τὺς δὲ προσανέα πί-
-νοντας, ἢ γυίοις περιάπτων πάντοθεν
Φάρμακα, τὺς δὲ τομαῖς ἔστασεν ὀρθύς.

Hoc autem medicinæ genus tùm apud alias Græciæ Gentes, tùm apud concives Pindari, Thebanos, præcipuè invaluit; ad morsus Serpentum, ad Epilepsiam, Podagramque, et ipsam Pestem adhibitum. Quid mirum, cum Apollo idem Musicæ, et Medicinæ præesset; cúmque veterum Græcorum Cantores Philosophorum titulo digni haberentur; nec artem tantùm medendi callerent, sed omnes omnium scientiarum disciplinas complecterentur?

Nec ullus sanè dubitandi est locus, quin in eos omnes aquarum mineralium fontes, ad quos confugit quicquid ferè invalidorum est atque ægrotantium, a locorum amœnitate, et a vitæ victûsque consortio, quâdam saltèm ex parte, derivetur virtus. Ibi enim animus discit quasi seipsum fugere; et a se intùs rodendo, ad res extrà positas, et ad varia voluptatum lenocinia convertitur. Qui enim in se sæpiùs, quam par est, descendit, certo certiùs aut inveniet mala, aut faciet: Et præter quas ipsa vita secum afferat, mi-

ſerias addet, qui iis, quas afferat, nimis im-
moratur.

Periapta ſua, atque Amuleta magnoperè laudârunt Antiqui, ſuſpenſa collo, aut brachio alligata; magica ea profectò remedia, et quæ conſtat non aliis fuiſſe virtutibus donata, quam quas iis indulſerit ipſa ægrotantium credulitas. Nec aliundè vires ſuas haurit aut manus Regia in curatione Strumarum, (quicquid de illâ ſomniârint majores noſtri, ſuperſtitioſi Mortales) aut anilia, quotquot ſunt, medicamenta, quæ ad profluvia ſanguinis (ſi Diis placet) inhibenda, aut domandas febres plaudenti populo propinantur. Ità verum ſit illud a Senecâ dictum, "Quoſdam non, niſi deceptos, ſanari;" et illud Avicennæ, "Plus interdùm prodeſſe "fiduciam in Medicum, quam ipſam medi- "cinam."

Quod ſi in hocce campo liberiùs ſpatiari vellem; et morbos, quicunque a mirabili facultate imaginandi naſcuntur, ad examen revocare ſingulos; profectò non ad clepſydram, ſed ad infinitum forem dicturus.

Ex iis omnibus, quæ præmittuntur, ſatis liquet, Medici pretium, nomenque merito jure nanciſci, haud eſſe leve quoddam, aut

cuivis

cuivis Homuncioni parabile; sed totis humani ingenii viribus; sed omni nervorum contentione elaborandum opus. Optimè ideò ac sapientèr a Majoribus nostris simùl saluti Civium, et Artis nostræ dignitati consultum est, ac provisum; qui, cum hæc florentissima literarum Domicilia legibus fundabant, (gnari disciplinas, aliam ex alia nexam, et omnes inter se aptas esse quodammodò, ac colligatas, cognatisque animis conjurare) studia illa, quæ ad humanitatem pertinent, Medicinæ tùm auxilio fore, tùm etiam ornamento curaverint: *Quæ quidèm studia quamvis non faciant Medicum, aptiorem tamen Medicinæ faciunt.* Profectò quotiescunque hæc desunt adjumenta, quibus Professoribus dehonestetur Ars, pudet dicere. Iis gratulor ego perfrictæ frontis præmia; mirorque facundiam præcipitem, herbarum vires, et medicamenta crepantem mera; ipsosque vulgi stupentis credulitate factos nobiles: Cùm sacræ Medicinæ illotas manus admoventes; nec Philosophiâ vel in primo limine salutatâ; invitâ etiam ac repugnante Naturâ; sibimet egregiè videntur ad morbi genus omne profligandum armari. Nimirùm hi sunt, qui divini Hippocratis Filii audire

 gestiunt;

geſtiunt; nec ingenio, nec dignitate, nec rerum cognitione tanto nomini pares; quibus denique Medicinam exercentibus, adeò contempta jacet hæc Artium præſtantiſſima, ut in priſtinam ſuam ſervitutem jamjam relapſura eſſe videatur. Aures eorum Hominum fas ſit tandèm accedat illa Cöi oraculi vox præclara,

“Τὰ ἱερὰ ἔοντα πρήγματα ἱεροῖσιν Ἀνθρώποισι
“ δείκνυται· Βεβήλοισι δὲ οὐ θέμις, πρὶν ἢ τε-
“ λεσθῶσιν ὀργίοισιν Ἐπιστήμης.”

F I N I S.

Utrum Imperium atque Artes Humaniores Occidentali Curſu Nationibus ſeſe deferant.

SI Naturam Hominis penitius perſcrutemur, ita comparatam eſſe inveniemus, ut ſolitudinem conſulto fugiat, ſuique ſimilium ſemper appetens ſit conſortii. Non enim niſi mutuo auxilio, mutuæ adjuvantur inopiæ; viresque diverſorum, per ſe parum efficaces, in unum quaſi collectæ, grande univerſorum evadunt præſidium. Hinc ſcilicet in ſpeciem quandam Societatis Homines coivere, cujus Fundamina rudia quidem erant, et valdè imperfecta, non, niſi longiſſimo temporum lapſu, in ſtabilem extruenda molem. Libertatis profectò amorem nobis inſevit Natura; cum autem vaga ſit illa fræniqque neſcia, in vitium nunquam non incidit: ad coercendam ergo animorum libidinem, Leges ſunt inventæ, ut ad exemplar propoſitum Mores ſibi quiſque effingeret. Cum tamen admodum paucos ſuis ipſa illecebris Virtus

trahat, Auctoritate non adhibitâ, quid Leges vanæ proficiunt? Principe igitur ac gubernatore opus fuit, qui imperio nutuque omnia regeret, legibuſque neglectis debitum vindicaret honorem, quo perfectior Civilis extaret Societas. Non eſt inſtituti noſtri, varias et penè infinitas ſpecies, in quas ſeſe dilataverit πολιτεια, inveſtigare: ſed hæc, veluti rerum primordia, leviter attigiſſe, non abſurdum ſpero; Oratione præſertim ad ſumma Imperia jam feſtinante, quæ ab exiguis profecta initiis, eò creverunt, ut magnitudine tandem laboraverint ſuâ.

Si vetuſtioris ævi monumenta chartaſque Hiſtoriæ evolvamus, Orientales Mundi Regiones a Mortalibus primò cultas fuiſſe, omnibus in confeſſo eſt. Hic ſcilicet quicquid uſpiam eſt amœnitatum benigna profudit Natura; purior hic Cœli temperies, exquiſita frugum copia, beatiſſima telluris ubertas, primam Homini ſedem quaſi deſignavere. Ut autem de Mundi origine, de Hominibus poſt Diluvium undequaque diſperſis, quæ ſacro traduntur Volumine, taceam; utpote graviora quàm quæ leviculo hujuſmodi ſubjiciantur argumento: ad Ethnicorum Scripta, quorum longa fidem confirmavit dies, ſolummodo memet conferam.— Aſſyriorum

Imperium

Imperium omnium antiquiſſimum fuiſſe ferunt, et temporis minas diù contempſiſſe. At non mehercule annales Nini aut Semiramidis laborum, non quicquid in Hiſtoriâ mendax audet Græcia, recenſere in animo eſt; hæc, Urbium licèt primordia auguſta faciunt, poëticis decora fabulis, omitto. Mirum eſt Regibus luxu perditiſſimo fractis, Aſſyrios opibus potentiâque tam diù viguiſſe. Ni enim Gubernatoris conſilio et prudentiâ ſuſtentetur, obruatur omne neceſſe eſt et corruat Imperium. Sardanapalum tandem cum ſemiviro ſuo comitatu, otio ac mollitiis vel ultra fœminam diffluentem egregii Medorum adorti ſunt Duces, et ad Babylonem ſedes transfertur regia. Quâ vigente, Orientiſque quaquaverſùm populos debellaturâ, inter Perſas Vir magni nominis exortus eſt Cyrus. Illi enim, admodum adoleſcenti, inerat et ſuopte ingenio virtutibus temperatus animus, diſciplinâque tetricâ ac triſti veterum Perſarum inſtructus. Nullis debilitatus deliciis, militis munia aſſiduè obivit. Ad parendum exindè aſſuetus, ad imperandum habilior acceſſit. Talem tantumque Medis, Babylonico jam infenſis jugo, ſeſe præbuit Ducem. Cum autem Militari Scientiæ regni capeſſendi adjunxerat peritiam, auctæ ſunt Perſarum res, latiſſiméque illorum diffuſum eſt Imperium.—Juvat profectò inter priſca temporis ſpatia evagari, juvat in

 memo-

memoriam revocare, qui mores fuerint Hominum, quorum cum vitâ non simul extincta fama est. Et quidem, regnante Cyro, optimè comparata fuit Persarum vita: Mensa illorum verecunda erat; Corpus laboris patiens; ad severissimam disciplinæ normam compositæ Mentes nullius periculi terroribus ab officio descivere. Longè aliter sub Dario actum est: tunc in luxum atque libidinem præcipites effusi, nimis arctæ scilicet Disciplinæ documenta sprevere. Proavis autem tametsi tantum dispares, infinitâ Copiarum multitudine et magnifico apparatu, ad formidinem Gentibus Barbaris incutiendam valuere. Non ita cum Græcis bellandum fuit: quos mehercule non defendebat numerus; quorum Exercitus non ingentes, sed vividi, sed animosi; quorum pectoribus Libertatis Patriæque non delendus flagrabat amor; totamque una, quasi per artus infusa, mens agitabat molem. Non Mulierum ac Spadonum agmen Græcis opponendum erat militibus; testis sit Marathon, testentur Thermopylæ, quantum consilio conjuncta fortitudo vel innumeris præstet copiis. Toties fusi fugatique, quod virtute nequiverunt, dolo tandem effecere Persæ. Græciæ fuerunt eâ tempestate duæ potentissimæ Civitates, Athenæ et Lacedæmon; diversis moribus, diversis prorsus institutis. Illi omnis elegantiæ et urbanitatis, huic paupertatis et parsimoniæ studium; illa navalibus,

haec

hæc terrestribus copiis melior: altera alterius æmula, totius Græciæ domina esse voluit. Atrox inde, nullos habiturum triumphos, exortum est bellum; mutuâque cæde communem Statum debilitavere. Civilium discordiarum non otiosus fuit Spectator Persarum Rex; easque callidè fovendo, miseras dilaceravit Respublicas. Macedoniæ interim, Vir providens atque agendi peritissimus, regnabat Philippus; qui partim astutiâ, partim vi, subdolus insidiarum artifex, Græcos in ditionem ejus redegit, eosque ad arma contra communem Persicum hostem sumenda coegit. At, (proh caducam rerum humanarum sortem!) tot et tanta molientis omnem spem, atque omnia vitæ consilia, inopinata pervertit Mors! Illo tamen avulso, non defecit alter. En, Magni titulo insignitum, Filium ejus ALEXANDRUM! Egregio huic adolescenti omnia vasta, immoderata, animo obversata sunt: neminem parem, vix secundum esse voluit: putavit scilicet * nec Mundum duobus Solibus regi, nec duo summa Regna, salvo Terrarum statû habere, posse. Militum ille virtuti fisus et suæ, Darium innumera trahentem agmina et fortunæ suæ apparatibus oneratum, penè incruentus devicit. Hunc, Manium tot illustrium Græcorum, qui in Patriâ contrà Persam defendendâ mortem oppetiere, ultorem, magni-

* Q. Curt. lib. iv. pag. 158. lin. 21. ed. Delph. *Paris*, 1678.

ficè

ſicè incedentem vidit Babylon: quem, paulo poſt, Indis Orientiſque gentibus debellatis, (alterum quaſi Bacchum) in ipſo incremento rerum, nondum adverſam expertum fortunam, mortalitatem explentem contemplata eſt. Piget profecto, tantis laboribus, tantâ fortitudine partum, a Ducibus illius in varias partes miſerè diſtractum divulſumque referre Imperium.

Quænam autem illa, ex humili orta, caput magnificè attollit Civitas?—Quiſnam iſte, cui nihil arduum, nihil imperviam, progreditur Exercitus?—Victrices agnoſco AQUILAS; agnoſco ROMAM. Proh, quantum oculo contemplanti Spectaculum! En, Inſtituta, Diſciplina Militaris, Leges non ſine Moribus, omnia denique quæ Urbi emolumento eſſe poſſunt aut felicitati, in hâc unâ collecta et expreſſa! Hinc quicquid uſpiam erat regnorum quaſi violento exundavit gurgite! Hinc Orbis Terrarum evaſit Domina! Sed profecto Populi prævalentis vires ſeipſæ tandem confecere: Luxus, Divitiarum comes, undique graſſatus, ſeptingentorum Annorum Opus, quibus Reſpublica ſteterat incorrupta, excidio ac ruinis dedit. In materiâ toties decantatâ, apud Scientes immorari nolo: nec ſane muneris eſt mei, varias fortunæ, quas poſtea experta eſt, vices minutatim percurrere.

Hactenus

Hactenus vero *Occidentali Cursu* IMPERIUM deferri vidimus; Assyriorum, Persarum, Græcorum, resolutam Potestatem Romanis cessisse; eandem Barbaris cedentem paululum contemplemur. Reipublicæ præcipua erant sustentacula, Civilia ejus instituta, et Disciplinæ Militaris severitas: sub Imperatoribus illa prorsus neglecta; hæc laxamenti quamplurimum habuit. Non amplius Legiones, queis Patriæ cordi erat salus, sed mercede coactæ degeneres pugnavere. Longè aliter Barbarorum, cum quibus confligendum erat, gentes: nullis deliciis fracta, sanguinolenta hominum bellicorum indoles ad arma avidissimè properavit: omnia ferro flammâque deformavere; pulcherrimamque Reipublicæ molem, propriis lapsuram vitiis, funditus everterunt.

Ex hâc caligine, quæ per tot annos Europæ terras longè latéque obscuravit; ad finem 15^mi Sæculi se convertat Oratio.— Novus hic rerum ordo, nova mihi se ostendit facies.— En Hominum, gravi somno torpescentem, resuscitatam Indolem atque arrectam! Motibus insolitis, eventûs magni præsaga, tremiscit Terra! Nascitur Columbus! Natum se non frustrà sentit; alter velut Macedonum Rex,

Æstuat infelix angusto in limite Mundi *;

* Juv. Sat. x. 169.

Atlantici

Atlantici æquoris fremitum indignabundus audit; ripæ ulterioris amore audaces tendit manus, fragilemque ignoto primus committit pelago ratem.—En vero, quem animo vidit, ingenio complexus est, ante oculos novum exoriri Mundum! En Terras olim dissociabiles, Commercii vinculo jam jam sociandas! Romanorum superbiam ridet, totius Orbis scilicet Dominos sese efferentium! En toti illorum, vel maximè vigenti, Imperio terras haud impares.—Nunc sanè cum Poetâ verius liceat exclamare,

> Quantum Terræ, quantum cognoscere Cœli
> Permissum est; pelagus quantos aperimus in Usus *!

Juvaret sane, rudem inter primævos Americæ Incolas Societatem Moresque describere; juvaret genium naturamque Coloniarum, quas ibi constituit Europa, quantumque ad res variarum illius gentium ordinandas valuere, explicare: hæc vero, graviore calamo, ut digna sunt, tractanda relinquo.—Quis autem flebilis iste armorum auribus ingravescit sonus? Civiliumne armorum fremitus?— Ah, sit meliora sperare! Sit Britanniæ Coloniis ejus iterum Concordiâ frui!

Licèt vero ex præteritis futura conjiciamus; licèt occidentali cursu adhuc se detulerit Imperium; tamen

* Valer. Flacc. Argon. i. 168.

post

poſt Romam dirutam, nil ortum tale fateamur neceſſe eſt; nullam ſcilicet, quæ totius terrarum Orbis dominatum complexa ſit, Civitatem; aliàs an orituram, hodierno die certis indiciis indagare non poſſumus. Europæ quippe variæ adeò juſto libramine conſtitutæ ſunt, arctiſſimoque nexu inter ſe conjunctæ gentes, ut non in unâ alterâve, in omnibus vero collectim ſitum ſit Imperium, prout humanarum rerum ſinat ratio, duraturum. Si enim undequaque oculos vertas, nullâ aliâ mundi parte, adeò ſtabili atque inconcuſſo fundamine innituntur res. Leges hic ſaluberrimæ, ſpectatorum militum copiæ, artes maximè florentes. Præcipuè vero in noſtrâ Britanniâ hæc optimè conſtituta ſunt. Qualia ex inſulari ſitu derivanda ſunt emolumenta, teſtentur Creta, Tyrus, Rhodos. Britannia, Maris licet Regina, nondum propriæ gloriæ attigit faſtigium: ſit nobis indies provehere commoda illa, quæ huic Inſulæ Naturæ indulſit benignitas: quod verò multorum ſæculorum opus eſſe, in Politicis ſuis Scriptis* nuper editis, vir ſagaciſſimo ingenio, eruditione minimè vulgari, ſingulari in Rempublicam ſtudio, oſtendit CAMPBELLUS, quem nobis ſuo magis quam ſuorum civium tempore ereptum lugemus: quantoque major operi accedet difficultas, tanto uberior Britanniæ conſtabit gloria.

* V. Dr. Campbell's Political Survey of Britain.

Alia vero mihi dicendi jam oblata est materies: *Artium* scilicet, quæ vitam faciunt beatiorem, quas suam veluti progeniem vindicat pax, Origo describenda est et Progressus. Nec sane hoc aggredienti ingratum fore existumo, si paucis antea scrutemur quali, inter Homines societate nuper conjunctos, ordine nascerentur. Non est quod dubitemus, eas artes, quæ ad usus vitæ necessarios expectuntur, primò orituras. His ritè compositis, quiddam sanè ad cultum atque elegantiam omnino desiderarent; nec curiosa Hominum conquiesceret indoles, dum, quod voluerit, quodammodo sit assecuta. Jam verò, ad prudentiæ longâ die perfectæ difficillimum opus, πολιτειαν, ad Leges scilicet stabiliendas sese converterent, ut inventis frui feliciter bonis liceret. Cum autem constituta Imperii forma otium confirmaverit; rerum undique existentium pulchritudo, admiranda Mundi fabrica, in quo se collocatos senserunt, animorum aciem defixam occuparet, et ad causas earum contemplandas vehementer incenderet. Exindè Philosophiæ oriretur studium. Nec sanè corporeis rebus adeo esset intentus, quin ad altiora quædam et magnificentiora liber se erigeret spiritus, divina scilicet et mutari prorsus nescia ausus attingere.—Ita omnigenarum Artium complecterentur ambitum; quibus summoperè ulla si exornata sit Civitas, omni ex parte plenè cumu-

latéque

latéque perfecta esse dicatur. At profecto, quantæ quantæ, eas ex Oriente profluxisse, atque exinde, tanquam de perenni fonte, Occidentales Mundi partes irrigâsse inveniemus.

Mirum forsan videatur, aliquem scientias ex Sacis Scythisque borealibus derivare velle; toto scriptorum antiquissimorum prorsus repugnante Choro. Sed mehercule, Homines novitatis studio abrepti, aut ingenii ostentandi causâ, nihil non audent; quo autem absurdius, eo magis ipsorum acumen elucere existimant. Unus inter hosce eminet Scriptor Gallicus; paucis, credo, notus, quem vero dignum qui refellatur censuit, eumque ex iis ipsis auctoribus, quos testes sibi appellavit PEZRON, falsissimum esse ostendit, in Mythologicâ suâ Analysi, vir orbi literato notissimus, quem Academia nostra suum esse jactat, BRYANTUS*. Opere admirando certè, de quo judicium ferre, non est meum: iis solis concessum est, quorum mentes doctrinæ succo ipso et sanguine enutritæ, longoque usu exercitatæ, habent suam quandam maturitatem et quasi senectutem.

Ex Oriente igitur initia scientiarum quæramus. Egyptus suos habuit Philosophiæ Ministros; Persia,

* Vid. Bryant's Analys. of Myth. vol. iii. p. 127. sub artic. PEZRON.

Magos; India et Ethiopia, Gymnosophistas suos; Assyria, Chaldaeos. Babylonii Astrorum cursus observarunt primi: Ad Nili ripas nascitur Geometria. Haec sanè rudimenta erant Philosophiæ et quasi incunabula. At non diù latuerunt. Thales alienas visendi terras studio commotus, Orientis thesauris Græciam ditavit, sparsosque in unum quasi corpus collegit. Dum ille Ioniæ philosophicam præfert facem; Occidenti scientiam non invidet Pythagoras. Verum mundi systema, parùm eâ tempestate intellectum, aperitur. Alius deinde rerum ordo.—Inutili Physicorum, ut tunc erat, farragine delassatus, veritatis fidus ille satelles, in seipsos descendere mortales docuit SOCRATES. Mox Metaphysicen suam sublimem indagavit, patefecit, protulit PLATO. Cumque ALEXANDER imperium, propriâ finiendum vitâ, moliebatur; ALEXANDRI Præceptor, aliud, innumeris penè duraturum sæculis, condidit ARISTOTELES. Athenis in servitutem redactis, in Egyptum Philosophiam exulantem Ptolomæorum revocat favor. Nihil autem inventis additum. Romæ profectò, victoribus formata atque Oratoribus, Ideis abstractis prorsus repugnabat lingua. Et sanè, "Ad suam usque ætatem jacuisse, nec ullum lumen literarum Latinarum habuisse," Philosophiam fatetur CICERO *.— Roma

* Tusc. Quæst. lib. i. in Proœm.

occidit.

occidit. Barbaris cedit Europa. Byzantium hoſpitem recipit Philoſophiam. Quâ vero expugnatâ, in Italiam Græci rurſus migravere. Incredibile erga literas viguit ſtudium. Sed myſticis, neſcio queis, rebus intenti, a veritate deſcivere. Naturæ inveſtigationi opera ubique data: Natura ipſa neglecta eſt. Italia, Gallia, Anglia, quaſi conſenſu quodam, Ariſtoteſem ſolum Naturæ interpretem venerantur. Tanta, quibus coercebantur Hominum mentes, vincula fregit BACONUS. Nec ſanè prætereundum cenſeo CARTESIUM: quid, ſi erravit vir ſagaciſſimus—inipſis erroribus magnum agnoſcas: vel NEWTONO patefecit viam; quem huic cœtui nominâſſe præconii inſtar omnis eſt. Mirum eſt, in Metaphyſice quantum inter omnes unus excellat LOCKIUS. Pergratum eſſet Philoſophos, quos vidit poſtrema, præſenſque ſurgentes admiratur ætas, enarrare; ſed neceſſe mihi temperare, ad LEGUM contemplationem jam feſtinanti.

Hanc ſanè artem pulchrè calluere Egyptii, felicitati Hominum apprimè neceſſariam. Leges invenere; inventis ultimam quaſi manum impoſuiſſe videntur. Quis illas ſatis mirari queat, a Diodoro * memoratas? quas tamen recenſere, nec loci hujus eſt, aut inſtituti.

* Diodor. Bibl. Hiſt. lib. i. pag. 87, &c. edit. Weſſeling.

Huc

Huc ſeſe contulere graviſſimi viri, LYCURGUS et SOLON. Ex hoc fonte hauſtus non expalluere. Qualia exindè emanaverunt inſtituta, florentiſſimæ Græcorum teſtentur civitates, Sparta et Athenæ. Legum Romanarum majeſtatem et ſapientiam vel hodiè meritò veneramur: hic autem luculentis Plinii utar verbis, amico quodam ſuo ad Achaiam, veram illam et meram Græciam, ordinandam miſſo: "Habe, inquit, ante oculos, hanc "eſſe terram quæ nobis miſerit jura, que leges non "victa acceperit, ſed petentibus dederit: Athenas eſſe "quas adeas, Lacedæmonem eſſe, quam regas *."

Poſt dirutum a Gothis Romanum Imperium, cauſas, quæ ad varios Europæ ſtatus ordinandos valuere, fuſius exponere longum eſſet. Juris, ut dicitur, Feudalis iniquiſſimo jam excuſſo jugo, piget humanæ infirmitatis meminiſſe: quum Homines inſanâ, neſcio quâ, religionis ſpecie abrepti, ad ſacræ telluris ab infidorum manibus eripiendum Imperium avidiſſimè ſe accingebant. Nolo autem varia quæ indè, ex Oriente in Occidentem, ſeu ad leges, ſeu ad mores ſpectantia, ſecum reportârunt, emolumenta perſequi; quæ omnia curioſâ quâdam felicitate et planè ſuâ inveſtigavit magnus ille CAROLI Quinti Imperatoris Hiſtoriographus †. Ex-

* Plin. lib. viii. ep. 24.
† Robertſon's Hiſt. of Charles the Fifth, vol. I. ſect. I.

quiſitiores

quisitiores Imperii formas, quibus hodierno die fruitur Europa, describere supervacaneum esset.

Ad POESIN igitur, HISTORIAM, atque ELOQUENTIAM, vitæ illa quasi condimenta, liceat convertere. Omnium fere Doctrinarum inventricem fuisse Egyptum consentiunt eruditi: gravis autem et severa hujusce gentis indoles artibus elegantioribus parùm conformata videtur. Amœniores Asiæ campi rivorum lacteo humore irrigati, æther benignus, flatusque Favonii perennes ad humani ingenii florem maturandum conspirant. Hìc Poëseos illius Principis et Parentis Homeri grande insonuit Epos: hìc Æschylus, Sophocles, Euripides, divino quodam spiritu afflati, tragœdiam illustravere. Nativa illa Philemonis et Menandri elegantia, Aristophanis comici micuere sales: molles amoris cantiunculas fudit Mimnermus, fudit non silenda Sappho: Pindari, torrentis instar, magniloquum prorupit melos: hìc denique ruris delicias versu nec rudi nec inconcinno depinxit Theocritus. Quid si Historicos petamus? Hìc suavitas Herodoti, Thucydidis gravitas, Xenophontea nullo labore accersita dicendi vis. Si Oratores volumus, nusquam vehementiùs eloquentiæ studia viguerunt. Hìc ineluctabilis illa Demosthenis, ad ultimos Græciæ fines, ad solium Macedonicum fulminavit Oratio. Hìc

clausulis

clauſulis numeroſis et jucundè cadentibus, exquiſitiorem quandam dicendi artem expoſuit ISOCRATES. At—quid ſoli amœnitas?— Quid Natura opum variarum prodiga?—Ni ſedem ſuam hic collocatam voluiſſet libertas? Hæc ingenia Hominum alit et promovet, ſpe ſublimi erigit, et ad nobilem æmulæ virtutis contentionem urget, impellit*. Hinc, exulante libertate, Parnaſſum ſuum triſtes reliquere Muſæ; quas hoſpites recepit Latium. Hinc, Græcis comparandum, ſcriptorum exoriri chorum. Quid in Hiſtoriâ, Livium, Salluſtium memorem? Quid Ciceronem, qui admirabili dicendi copiâ vel unus omnes adæquavit? In Poeſi, Virgilium, Horatium?— At Auguſto, Tyranno regnante, egregios hoſce viros effloruiſſe dicat aliquis: immo.—Sed liberis imbutæ principiis atque educatæ illorum mentes, ſeſe roboraverant, priuſquam ad regnum acceſſerat Auguſtus. O miſerum ſub Imperatoribus atque deflendum Literarum ſtatum! Tum ſcilicet quid ultimum eſſet in ſervitute, viſum eſt. Europæ ſpiſſa ignorantiæ diù incubat nox. In Italiâ, primi doctrinæ viſi inclareſcere radii. Quis iſte, ex Valcluſæ receſſibus, myrteâ inſignis coronâ prodit? Petrarcham agnoſco: qui, rudi adhuc ſæculo, priſcum literis revocavit decus; propriæque linguæ

* Θρεψαι τε γαρ ἱκανη τα φρονηματα των μεγαλοφρονων ἡ Ελευθερια, κ. τ. λ. Longin. de Subl. ſect. 44.

famam,

famam, numeris molle quiddam et amabile ſonantibus, ſtabilivit. Captâ deindè Conſtantini urbe, ex Oriente elegantiores rediere artes, ſalubri Europam flumine irrigaturæ. Hinc apud Italos, ſub decimo LEONE, ſummo ſplendore enituerunt Literæ: Hinc virgineo ELIZABETHÆ ſuæ ſuperbit regno Britannia: Hinc auream LODOICI ætatem meritò jactat Gallia. Quàm libenter, immo avidè occaſionem hìc arriperem, copioſè explicandi per quos viros, et partum et auctum eſt doctrinæ decus, donec ad hæc tempora, quibus ſummum fortunæ attingit Europa, perventum ſit.—Sed æquore propoſito jam confecto, mihi, portum quaſi conſpicienti, vela ſunt contrahenda. Paucula quædam, de ulteriore Imperii in Occidentem progreſſu, coronidis loco, liceat adjicere.


Nihil minus quæſitum, quàm ut aliquid de Sacris Literis huic oratiunculæ infererem: ipſa vero argumenti dignitas, quibus tacitis cogitationibus volutavit animum, eas evocat in medium. Nobis profecto futuri arcana ſummus omnium Arbiter, qui res humanas ſpectat et gubernat, ſacris Prophetis aperienda dedit. Quatuor illa ſumma, quæ *occidentali curſu* ſeſe deferentia vidimus, Imperia, multis antea ſæculis divina patefecerant oracula; quæ proculdubio totius Terrarum Orbis fata complectuntur. Prout vero doctiſſimis Hominibus viſum

C eſt,

eſt, qui hiſce ſtudiis diligentiſſimè incubuerunt, de futuro iſtiuſmodi Imperio, prorſus ſiletur. Quis igitur trans Atlanticum mare oriturum fore dicat temerarius?— Quod ad Artes humaniores attinet, perexiguâ ſanè totius Americæ parte hodierno die ſunt excultæ; iiſque ipſis in locis, quos Belli jam deformat rabies: et profecto, ne in ipſis incunabulis extinguerentur, verendum eſt. Quæ autem, in hiſce planè immenſis mundi regionibus, rerum ſeries adhuc explicanda reſtat, humano ingenio nimis arduum eſt ſcrutari: magnitudine rei perculſus, vanæ forſan meditationi indulgeat politicæ ſcientiæ ſagax; cum Cicerone autem concludendum cenſeo *, "Bellum "eſſe velle confiteri potius neſcire quæ neſcias, quam "iſta effutientem nauſeare atque ipſum ſibi diſplicere."

* Cic. de Nat. Deor. l. i.

Thos. Jas. Mathias



Trin: Coll: Cant:

1776.

Qua quis ratione ſeipſum citra Invidiam laudare poſſit.

NIHIL eſt profecto, in hoc tam brevi Vitæ curriculo, quod ab Homine majore ſtudio atque induſtriâ expetitum ſit, quàm ut ſuorum laudem conſequatur; nihil eſt, quo ad illuſtria facinora magis accendantur magnæ animæ, quàm ab inexhauſtâ, quæ in pectoribus illorum tantoperè flagrat, famæ aviditate. Cum enim Virtuti, propria velut merces, aſſignata Laus ſit, ad altiora quædam et magnificentiora erigitur Mens: hinc nocturnis impalleſcit chartis Naturæ ſagax Interpres; hinc ad ſtabiliendam Imperii Sedem Leges et inventæ ſunt et perfectæ; denſiſſimas Hoſtium turmas, illâ duce, non exhorreſcit Miles; in defendendâ Republicâ eloquio tonat Orator; hinc denique clariſſimorum Hominum facta immortalitati conſecrat Hiſtoricus. En, quantum poſſit ſuadere illa, a naturâ quodammodo (4)

A insita,

insita, Laudis Cupido! quam acres Ingenio stimulos subjicit! hâc elatus, fragilitatis suæ immemor, posteris videtur interesse Heros, et, tanquam præsenti, sæculo fruitur futuro. Tantæ autem licet eximiæ in unoquoque genere exinde oriantur Virtutes; sæpissimè pulchrum illud futuri floris principium lethali rore aspergit Invidia: omnis ilicet exsiccatus humor; cessat admiranda germinatio; et qui sese in auras latè expansurus erat flos, languescit, moritur. O pravam Hominum Mentem! O stultitiam planè incredibilem! Virtutem amant, nec fovent; debitis illam præconiis prosequi recusant. Quamdiu enim in terris versetur sublime aliquod et erectum Ingenium, (non solum ad humani generis felicitatem verùm etiam dignitatem augendam natum) cùm cæteros fulgore quodam suo præstringat, aut neglectui habitum est, aut si laudes vel inviti cogantur reddere, non illas expressas quidem sed adumbratas largiuntur. Quòd si Natura eorum ita comparata sit, ad invidiam nunquam non proclivis et alienam famam nescia tolerandi, quo modo sui ipsius Præconem patienter ferat?

Hæc primò difficilis forsan videatur et perobscura Quæstio; at cuidam paullò attentius rem perpendenti, abunde

abunde patebit, Hominem in ea loca posse incidere, in quibus seipsum commendantem lubenter audimus. Laude verà vel maximas Virtutes carere, quibus modestia pretium non addidit, agnosco: Absit, procul absit Thrasonicum istud jactandi genus. Cum tamen spectatæ Vir integritatis aliquod grande ediderit, indignum Cui tarda subrepat oblivio, non est, quòd eum falsa quædam Verecundiæ species deterreat, quo minus incorruptum rei gestæ monumentum, vel alteri profuturum sæculo, proprià manu extruat. Licèt enim apud nos parùm ille increbuerit mos, erant profectò apud antiquos, iique gravissimi Viri, qui suam ipsi Vitam narrare non erubuerunt, fiduciam potius morum quàm Arrogantiam arbitrati: nec id, si Tacito credamus *, " Rutilio et " Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit." Hi scilicet non ad gratiam captandam, non vanæ indulgentes ambitioni, sed bonæ Conscientiæ pretio adducebantur, ut in omne ævum memoria Virtutis sempiterna efflorescеret. Et in hâc parte, vellem incorruptum Sanctitatis exemplar posteris tradidisses, Plutarche, egregie morum Censor et decori Arbiter; qui cùm illustrissimorum Hominum Vitas tam lucidis Ingenii coloribus, tanto Judicii acumine depinxisti, nos tuâ fraudatos po-

* Tacit. de Agric. sub init.

tuisti

tuisti linquere. Nullamne, quae cum illâ conferretur, dignam invenisti Vitam? Hoc sanè Modestiae non esset tuae affirmare; Illa certè Trajano tuo, qui te vel Consulari Dignitate ornandum esse duxit, maximè fuisset in deliciis; quam nunc dierum studio quaerimus inani, et ingemimus negatâ.

Qui autem inanis cujusdam gloriolae causâ, omnia de se magnifica praedicat, aut, quod eodem redit, praedicari vult, despectui summopere est habendus. Quis non jure Ciceroni succenseat, Lucceium oranti ut in sui temporis historiâ describendâ, vel Leges ipsas Historiae negligeret, et vehementius se, quàm fortasse sentiebat ipse, ornaret *. O omni vituperio Vox dignissima! Pereat potius dicendi iste lepor planè Atticus, pereant illae Latini Sermonis veneres, quibus luculentissimam hanc Epistolam exornavit, quàm vitium tam flagrans decora obvolvat oratio. Me vero ut tecum, Marce Tulli, asperius agam, cogit erumpens animo et pectore indignatio. Tune ille, quem in perpolito isto, de Oratore, Libro, sub Antonii personâ, de Historiâ tam graviter subtiliterque disserentem audivimus? quem, istiusmodi Scriptorem, "ne quid falsi dicere audeat" monentem,

* Cic. Ep. ad Fam. L. V. Ep. 12.

Laudibus

laudibus tantoperè extulimus? O si idem ille, qui te coram Lucceio hoc agere conantem sæpissimè deterruit, a scribendo etiam prohibuisset Pudor, quem sanè subrusticum nominâsti; famam, quam ob cæteras Virtutes eximias tuas honestissimè comparâsti, illibatam hodiè servâsses. Tibi profectò nequaquam ignoscimus, nè sub magni Umbrâ Nominis infimus quisque delitescat, aut alios, judicio parum perspicaci præditos, tantæ Auctoritatis exemplum decipiat. Hìc vero singularis tua, Secunde, modestia, omni laude cumulanda, silentio minimè est prætereunda: qui cum in Taciti tui scriptis inseri cupiebas, non exegisti, ut amori suo plus æquo tribuens, fucatâ quâdam oratione "rei actæ "modum excederet, honestè enim factis Veritatem "sufficere affirmabas *."

Est quidem Invidiæ quàm maximè obnoxia res et ingrata, Sui Laudatoris fungi munere; quia forsan injustus esse videaris, tibi scilicet assumens, quod ab aliis tribui debuit: Quapropter multi, vel otiosâ Virtute, Invidiam placare non dubitaverunt. At mehercule ista agendi ratio homini minime convenit, quem Reipublicæ gubernaculo assidentem infinitus rerum civilium labor

* Plin. Ep. l. vii. Ep. 33.

et ambitionis occupatio in umbratili vitâ delitefcere non finunt. Talis quondam apud Græcos extitit πολιτικος Ἀνηρ: quo titulo nihil honorificentius concipi poteft. Is enim erat, qui Civitati arctiffimo quodam nexu fe conjunctum effe putavit; qui totius vitæ tenorem non nifi feveriore Legum judicio comprobatum voluit; qui fub illarum aufpiciis fe totum conformavit; qui communi omnium faluti unà cum illis invigilavit, jura fingulorum invadere, aut juftam civium in eâdem Republicâ æqualitatem violare, ne minimâ quidem ex parte aufus. Cum igitur iftiufmodi Viro oblata fit Occafio, aliis rebus veritati confonis aliquid etiam de feipfo immifcere, modo dictis abfit vel leviffima arrogantiæ fpecies, non vereatur: quòd ita ad egregiè factorum imitationem excellenti quifque ingenio acuatur. Illius prætereà permultùm intereft, ut honorificè de fe fentiant Cives fui, neu quis fidem fufpectam habeat; parùm refert ut altiffimâ prognatus fit profapiâ, aut regio ortus ftemmate, nifi fit Vir probus, fpectatámque præ fe ferat Integritatem. In Civitatibus quidem effræni unius Imperio fubjectis, arctiori in limite conclufa æftuat Indoles humana et laborat: Ubi autem æquiori Legum Adminiftratione vivitur, ubi Patriæ prodeffe peritiffimo cuique conceffum eft; nifi ab omni fufpicione remotif-

fima

ſima ſit ejuſmodi Hominis fama, nihil grande in lucem prolaturus erit; nullo quippe modo, Calumniæ nebulis obſcurata, exerat ſeſe atque eluceat Virtus: cavendum eſt igitur, ne meritis propria obſtet taciturnitas.

Præcipuè vero, ad diluendum aliquod Crimen ſibi objectum, Homini paullò magnificentius de ſe loqui datur. Et in hâc parte occurrunt undecunque inſignium Virorum exempla, quibus, quanto majore laceſſiti fuerint Invidiâ, tanto uberior conſtiterit Gloria. Ita, in turbulentiſſimâ quâdam Reipublicæ tempeſtate, locutus fertur Athenienſis ille Pericles *: "Mihi, aiebat, "ſuccenſetis, qui Nemini voſtrum in conſiliis ſeu dan- "dis ſive explicandis me ſecundum judico:- quo nemo "Civitatis unquam amantior fuit, aut vultu erectiore "munera nocentium rejecit." Hæc ille, non fracto, qualis peccantium eſſe ſolet, ſed audaci ſpiritu in medium protulit; rectè factorum conſcientiâ fretus; nec arrogantiæ opinione laboravit. Iſtiuſmodi enim Vir erat, qui non ſubdolis artibus ad ſummum Imperii evectus fuerit faſtigium; ſed qui dignitati Athenarum ſuſtentandæ unicè ſtuduit; cujus conſiliis modo uſa eſſet Reſpublica, ut Pacis et Eloquentiæ, ſic Belli etiam

* Thucyd. l. ii. ſect. 60.

 artibus

artibus cæterarum Græciæ Civitatum Princeps illæsa extitisset. Talis sub rostris stetit domitor ille Africæ Scipio, criminationi, sibi ab Invidiâ conflatæ, responsurus: "Hoc die, Quirites, cum Annibale et Carthagi-"nensibus bene ac feliciter pugnavi;" egregias deinde a se res gestas ita magnificâ oratione exposuit, tam vividam sui ipsius in Rempublicam meritorum imaginem resuscitavit, ut non modo illum absolverunt, quin summo plausu ad Capitolium prosecuti sunt: "et Aurium; "(ait Livius) fastidium aberat, quia pro periculo, non "in gloriam, referebantur *." At—quo me rapit iste Civium Ordo frequentissimus?—Quidnam illud, in Athenarum foro, insolitum Spectaculum, cui videor interesse?—Eccui enim, absolutissimam illam, de Coronâ, Orationem perlegenti non incalescat animus et errore istiusmodi haud ingrato se paulisper deludi patiatur? dum etenim totius Vitæ rationem tantâ morum fiduciâ, tantâ Eloquentiæ vi explicat, variasque illius partes versat Orator, modo Thebis, modo me Athenis sistens, ut magus, non invitum abripit. Quam mirè Affectibus nostris se insinuat! Quanto artificio ea ipsa, quæ illi vituperio fore credidit Adversarius, in sui laudem convertit Demosthenes! neminem unquam Ci-

* Liv. l. xxxviii. c. 50.

vium

vium animos magis feliciter ſibi conciliaſſe arbitror; et Cteſiphontis Ψηφισμα, unanimi Athenienſium plauſu comprobatum, æterno poſteris documento erit, quantum valeat tempeſtiva Sui Laudatio. Et hic loci, ne quis mihi vitio vertat ſi, ad hujuſce argumenti veritatem ſtabiliendam, Paulum Tarſenſem commemorem, quem inter celeberrimos Græciæ Oratores recenſuit Longinus *. Illi quippe acerrimo Religionis Chriſtianæ Vindici, ex intimâ animi conſcientiâ, inerat præfervida quædam dicendi vis, et beatiſſima rerum verborumque copia. Stetit pro Agrippæ tribunali, prægravatus licet catenis, impavidus; nec enim vinculis coerceri potuit divini Hominis tanta Virtus. Spectaculum, ſi modo unquam fuit, imprimis dignum ad quod reſpiciat intentus operi ſuo DEUS! Non ille, conſpectum malorum reformidans, diſſimulanter et ſubdolè, ſed apertè, ſed ſimpliciter totius Vitæ inſtitutum penitùs declaravit: nullâ, quæ cæteros mortales mulcet, ſpe commotus, ſed ut ſcilicet Judices ſuos, frequentiſſimamque aſſiſtentem Auditorum Coronam, ſibi ipſis DEOque amicos reddat.—Sed ne apud ſcientes longius morer, ad alia feſtinet Oratio.

Si cui igitur minus viſum fuerit jucundum, ſeipſum laudare, etiam ubi neceſſe ſit; eſt profecto ratio, quâ

* Longin. Fragm. 1mo. pag. 260. ed. Pearce 8vo.

Invidiæ

Invidiæ impetum possit depellere, et culpâ arrogantiæ omnino vacare. Ad hoc elata et magnifica non semper sunt commemoranda: nam, ut in picturâ Lumen non alia res magis quam Umbra commendat; sic laudes proprias defectibus quibusdam quasi temperatas proferre decet; non illis flagitiosis quidem, qui Auctoris nomini infamiæ notam inurant; sed levibus, qui infirmitatis humanæ se participem ostendant: sic apud Auditores, quos egregiè factorum splendor offendit, acceptior evadat.

Est demùm, cum homini, ratione Ætatis habitâ, de se gloriari liceat: hoc scilicet Senectuti libentissimè datur, ut cum non amplius ad agendum sit idonea, narratione propriâ sui factorum alios accendat. Quis unquam Homerico Nestori invidit, sua facinora toties memoranti?—Num Græcis ducibus fracta languet virtus? ilicet, quæ quondam fecerat, recenset Senex, et torpentem resuscitat spiritum. Num quis cervice nondum domitâ, ferocior Juvenum Cætus superbit? Et ego, ait, vel vobismet præstantioribus pugnavi. Seni igitur, cum ad incitandos Heroum animos et retundendam arrogantiæ vim suo sibi usus fuerit præconio, non sine summo plausu, lubenter ignoscimus. Hinc etiam Q.

Fabio

Fabio * (pace Scipionis dicam) annis jam ingravescentibus, et rebus perfuncto amplissimis, eas coram Senatu Populoque commemorare non indecorum erat: illi præsertim, qui Romanam cunctando restituisset Rem, cujus consiliis nisi paruisset, non Roma sed Carthago Orbem Terrarum imperio suo subjecisset.

Loca sanè ostendere in quibus seipsum laudare homini haud permissum est, extra limites hujusce oratiunculæ et a proposito alienum fore arbitror. Quæ autem ad quæstionem illustrandam mihi maximè visa sunt pertinere, selegi: omnia nimirum, quotquot sunt, in medium proferre, utpote Crispini cujusdam scriniis, magis quàm umbratili hujusce generis exercitationi, convenientia, omisi. Parùm juvat, steriles quasdam sententias seu dogmata, vel Philosophi nomine sancita, producere, nisi Exemplorum accedat auctoritas: quibus, cùm illorum fundamento potissimùm inniti videbatur quæstio nostra, si paullò frequentius usus sim, quàm fortasse rei ipsius ratio postulabat, ut spero, condonabitis. "Hoc est enim "(ut luculentissimis Livii verbis utar) præcipuè in cogni-"tione rerum salubre et frugiferum, omnis te exempli "documenta, in illustri posita monumento intueri; inde


* Liv. l. xxviii. a c. 40. ad 45.

"tibi

"tibi tuæque Reipublicæ, quod imitere, capias; inde, "fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites *."—Maximè vero unicuique enitendum eſt, ut quodcunque virum bonum ac ſapientem decet, illi facere in promptu ſit; ut Civibus, quibuſcum verſatur, ſpectata ſit ejus Integritas, probati Mores: ita enim habebit, quo, poſt tot exhauſtos labores, tanquam in portum, confugere liceat; et ſi quando ab illâ, quæ rectè factorum comes eſſe ſolet, invidiâ laceſſatur, innocuum vitæ curſum palàm et fidenter profeſſus, experiendo ipſe ſentiet, quàm juſta et ab omnibus conceſſa ſit tempeſtiva Sui Laudatio: quæ tamen a nobis prorſus evitanda eſt, niſi exinde haud levi nobiſmetipſis vel Amicis utilitati, aut Reipublicæ emolumento eſſe poſſimus.

* Liv. in præf. ad Hiſt.

Thos. Jas. Mathias,
Trin: Coll: Camb.
1775



ORATIO

HABITA IN

FUNERE

Reverendi et Doctissimi Viri

GUILIELMI GEORGE, S.T.P.

COLLEGII REGALIS PRÆPOSITI,

VIImo KALENDAS OCTOBRES,

M.DCC.LVI.

A

GUILIELMO BARFORD, A.M.

COLLEGII REGALIS SOCIO.

CANTABRIGIÆ,

TYPIS ACADEMICIS EXCUDEBAT J. BENTHAM.

M.DCC.LVI.

ORATIO

HABITA IN

FUNERE, &c.

ETSI arbitror me, in hâc eruditissimi Viri laudatione, nota vobis omnibus et planè perspecta fore dicturum, tamen hoc ipso recreari me aliquantum sentio, atque etiam confirmari: facilis enim Oratori fides et prompta constat, in iis virtutibus enarrandis, quæ nec præ tenuitate suâ sine verborum ornamentis evanescunt; nec incertæ sunt, ut fucum orationis ad confirmationem exposcant. Noster

autem quem lugemus, quem desideramus, nonne cognitus Vobis? dilectus? amplificatus? nonne ex his Academiæ spatiis, atque hâc Henrici nostri disciplinâ in lucem prodiit, ut ætate maturior, dignitate auctior honorem apud Vos maximum consequeretur?

Equidem reticere nec possum nec debeo, quin bona, ut vocantur, Naturæ commemorem, quæ in illo homine singularia contigerunt; indolem abundè versatilem, forte et capax ingenium, admirabilem in linguarum perceptione facilitatem; tantas insuper memoriæ vires, ut, per omnem vitæ decursum atque in maximâ varietate studiorum, nullo ad eam adjumento aut uteretur aut desideraret; quasque res alii literarum monimentis

nìmentis consignare volunt, ille in animo penitus haberet insculptas. Quæ quidem omnia ideò à me prædicantur, non quod ea habuerit; sed quia tantis Dei muneribus honestè fuerit usus; atque ingenium suum, quasi aliquod debitum, literis et scientiæ consecrandum duxerit.

Ergo, ut primùm ab Etonensi illo eruditionis feraci solo ad Academiam summæ spei Juvenis accesserat, jamque animum suum accuratius excutere aggressus est atque explorare; decrevit illicò nihil mediocre aut quotidianum sapere: ipse se perspexit, totumque tentavit: et, cum intellexerit quemadmodùm à Naturâ subornatus in vitam venerit, instrumenta illa omnia accommodavit ad obtinendam adipiscendamque sapientiam. Non

tam

tam rivulos consectandi quam ex ipsis fontibus hauriendi cupidus, quum Philosophiæ scientiisque operam daret, præcipuo tamen et miro quodam amore deferebatur ad studia Humanitatis: iis potissimùm insudavit, utpote quæ non orationis solum sed et cogitationis omnem contineant sanitatem; et, quum ingenii vires magnoperè dilatare soleant et confirmare, plurimum etiam valeant in moribus formandis et vitæ institutione.

Cogitanti cuivis et secum reputanti quam opima sit Doctrinæ, quam varia quoque materies et abundans, fieri profectò nequit quin, ut oblectationis multum, ita nonnihil etiam terroris atque formidinis obversetur animo. Ingredi sibi videtur in fructuosissimam sanè atque uberrimam provin-

provinciam; quæ tamen in immensam latitudinem procurrit; in aliquibus etiam locis impedita sentibus, asperitatibus confragosa. Non pauci, herclè, anni ad percurrendam eam, nedum ad subjugandam sufficiunt; non facilis labor; non exilis et contemnenda solertia. Itaque illum, postquam ad Scholæ Etonensis gubernationem admissus esset, non multiplex atque operosa docendi ratio publicis adeò curis implicuit, ut non daretur etiam privatis locus: id autem spatii ferè totum ab horis subsecivis exigebatur, et legitimâ muneris sui vacatione. Tum demum, ad tam honorabilis officii tractationem à naturâ egregiè compositus, disciplinâ munitus, talem se exhibuit ut (absit verbo invidia) nemini secundus in Juventu-

te erudiendâ ornandisque moribus videretur. Nam et incorruptum Latinitatis atque integrum robur, omnemque Atticæ dictionis salubritatem animo insignitèr complexus est, illustravit verbis: Philosophorum dicendi genus tortuosum explicuit, elegantias Poetarum, liberiorem in Historicis majestatem. Nec verò in apertâ tantùm et nudâ ratione interpretandi præstans: sed et venustates magis latentes, et quasi in penitissimo Critices sacrario reconditas investigavit, assecutus est, atque in lucem protulit; gratiamque illam in Scriptis, cujus subtilitatem pauci quidem aut animo concipere possunt aut definire verbis, ad vivum ita expressit, ut non vaga posthac imago vel incerta videretur, sed constans, sed diuturna, sed in ipsâ naturâ rerum fundata.

Magna certè hæc, atque præclara; tantiſper autem æſtimanda, dum ad præſtantiora muniant viam, vitæque ac morum deſignationi inſerviant. Recordamini enim mecum, quemadmodum peregrinantes nos et errantes quaſi hoſpites per Italiam, per Græciam manu duxerit, ad Ægyptum uſque et fines Orientis; ut in omni Republicâ municipio donaremur et civitate: quemadmodum antiquitates Gentium, Regionum ſedem, deſcriptionem Temporum depinxerit; domeſticam, bellicam Diſciplinam, omnium divinarum humanarumque rerum genera, cauſas, officia aperuerit. Quoties nos Triumphorum immiſcuit celebritati, ſacrificiis Pontificum, conciliis Regum, cœtibus Philoſophantium! Quoties diſſerens de Imperio,

de Ritibus, eo modo Vetera illa contulit cum Noſtris, ut Patriam nobis cariorem, honoratiorem efficeret Religionem!

Quandocunque ſe ad Poeſin demittere voluerit, quis amœnior Illo? quis aut limatior, aut elegantior? In oratione ſolutâ, quàm puro flumine eloquentiæ, quàm pleno redundabat! quæ in ſententiis gravitas! in dictione pondus! in argumentis evidentia! In Concionibus autem, quæ maximam et vim orationis et varietatem capiunt, abundè oſtendit quanti ſit reſpexiſſe ad præclara Antiquorum exemplaria; quam utile demùm ſit et illuſtre humanam diſciplinam ad Dei gloriam convertiſſe et virtutis commendationem. Nam, quum infinitum per ſe momentum afferat ad pietatem

Scriptura Sacra, multum quoque profit aut universæ aut partis alicujus tum expositio, tum tractatio; ille professò, tales scribendi tantosque nactus Magistros, optimè novit et rem tribuere in partes, et latentem explicare definiendo, et obscuram explanare interpretando. Atque hæc omnia, quasi sepimento aliquo, vallabat differendi ratione, scientiâ, verique et falsi judicio: nec se adeò verborum ornamentis addicere voluit, ut non potius exquireret quis ordo, quæ rerum connexio; quæ sola, quæ colligata fortius agerent; ea demùm proferret argumenta, quæ Auditorum mentes et vehementer allicere possent, et acriter commovere.

Atque eo quidem potentior in affectibus concitandis, quod, cum mores

aliorum hominum atque ingenia accuratè perſpexerat, tum ſuos Ipſe ad Chriſtianas inſtitutiones et fidem comparavit. Nam neque cum vitâ pugnavit ipſius oratio; neque vixit ut cui non eſſet perſuaſiſſimum migraturum ſe ex hâc luce ad æterna proficiſci; rationemque actionum ſuarum redditurum coram et Creatore Deo et Redemptore. Itaque, non animi æquabilitate præparatus magis quam fide obſtinatus, ſapuit ad normam Religionis; nec famæ voluit aut hominum opinionibus obtemperare, ſed conſcientiæ ſuæ. Quod quidem nemini dubium erit reputanti quam conſtans ſibi, et quaſi concolor vivendi ratio. Nunquam enim, ſtudio partium, à ſimplicitate deflectebatur ad ſimulationem; aut ad pervicaciam à facilitate

tate

tate abibat; aut à ſano ſe judicio demitti patiebatur ad credulitatem: neque ullo modo is erat, qui commodo ſuo res magis quam alieno æſtimaret. Aperto voto aſſuetus vivere, nunquam à conſpectu hominum actiones ſubduxit, ne cogitationes quidem: utque innocentiâ ſuâ defendebat inimicitias, ita vitæ placidiſſimæ tenorem inſidiis præcavendis noluit interrumpere. Amicitias autem quâ prudentiâ, quo animi ardore amplexus eſt! quantâ confirmavit conſtantiâ! quam honeſtè à comitate fucum et fallacias repudiavit! à benevolentiâ ſpem atque conſilium mercedis!

Præcipuè autem, et quod Nos maximè attingit, mores ejus non ira efferavit, non exaſperavit odium; non vindictæ cupido ad imprudentiam

detorſit

detorsit aut severitatem: rem verò Societatis nostræ communem ita administravit, ut qui virtutibus mansuetis et quasi domesticis non seipsum magis quam nos omnes tranquillos efficere gauderet et beatos. Nec unquam, puto, obliviscemur quod nec se supra modum extulerit in potestate; nec superbus fuerit aut insolens in pecuniâ; nec se aliis præferre voluerit aut propter egregias illas animi dotes, aut doctrinæ abundantiam: adeò quicquid illi à Deo boni concredebatur, humilitati facultatem, moderationi materiem suppeditabat.

Quum tantâ laude esset cumulatus, etiamsi exactis annis atque in ultimâ senectute occidisset, abripi tamen è vitâ potius quam decedere videretur. Nunc in constanti & firmâ ætate

ætate, acerbo fato, penè dixerim immaturo, conceſſit: morbi autem diuturnitas non animos noſtros ad patientiam confirmavit; ſed deſperatione accendit ægritudinem, acerbitatem exacuit. Nos fallacem ſpem atque caducam agitantes, bonorumque noſtrorum ſtabilitatem non decretis Dei, non conditione mortalitatis æſtimantes, ſupremum defuncto munus et luctuoſum inſtituimus.

Quin nos à lamentis convertamus ad unicum illud, quod à Sacris Scripturis profluit, ſolatium: magna illius promiſſa, ſacratas ſanctiones, æterna contemplemur præmia. Quod in tali viro fragile, quod caducum fuit, ſepulchro (de quo tamen hæc ipſa triumphos aget aliquandò Mortalitas) ſolennitèr atque honeſtè committamus:

mittamus: gratior apud nos et vivacior ſuperſit memoria: Animam (quod Ratio, quod Religio ſpondet) immortalem ipſe conſervabit Deus, Creator Benevolus, Omnipotens Reſtitutor.

F I N I S.

Utrum VETERIS Comœdiæ apud Athenienses Licentia ad emendandos Mores magis, an ad corrumpendos contulerit?

DISSERTATIO

QUÆ

PRÆMIUM

A VIRIS HONORATISSIMIS

ED. FINCH & THO. TOWNSHEND

BACCALAUREIS SEN. propositum

RETULIT,

IN SCHOLIS PUBLICIS RECITATA

PRID. KAL. JUL. M.DCC.LV.

(6)

A JOANNE HALLAM, A.B.

Coll. Regal. Socio.

CANTABRIGIÆ,

TYPIS ACADEMICIS EXCUDEBAT J. BENTHAM.

M.DCC.LV.

Utrum Veteris Comœdiæ apud Athenienses licentia ad emendandos mores magis an ad corrumpendos contulerit?

CUM in Civitatum populari procuratione sit nulla ferè, qualis in Regio dominatu, Potestas, supra Populi mediocritatem et æqualitatem in excelso collocata, quæ universæ Reip. licentiam refrænare, Legum imbecillitati opitulari, ingentem et robustam improbitatem expugnare possit; inusitatæ et propriæ excogitandæ sunt viæ, quæ aut morum severitatem intactam atque inviolatam præstent; aut nascentem et verecundantem nequitiam frangendo, audaciæ maturitatem præcidant. Hâc spe, hâc mente Veterem inter Athenienses Comœdiam in societatem disciplinarum, et consuetudinum, quibus liberæ civitatis vis, et sanitas propagetur, venisse crediderim; ut ad cæteros affectus, qui ad publicam salutem vigilant, accederet Contemptûs et Pudoris consensio. At verò si quis forte miretur humanis curis et cogitationibus imperiorum occasus sæpe non retardari, fatique necessitati, suorum civium ritu, magnas Civitates deberi; intelligat ab ipsis legibus, meliora pollicitis Reip. cujus causâ procreatæ sint, sæpè profluere atque emanare communem calamitatem et pestem. Repudiatis itaque auctoribus in disquirendo, dum rationis momenta indagantur, jure hæc quæstio instituta esse videtur, utrum Veteris Comœdiæ licentia ad emendandos mores magis, an ad corrumpendos contulerit.

Nolo quidem ex feriarum celebritate, et rusticis comessationibus prima Comœdiæ elementa eruere; neque in Margitâ Homeri, rudem atque imperfectam formam investigare; neque inter Siculos sub Epicharmo, neque rursus sub Cratete inter Athenienses, scenæ fabulæque legitimæ progressiones persequi: Has partes nobis delatas esse sentio, ut contemplemur Comœdiam; sed Comœdiam debentem Eupolidi, Cratino, Aristophani, plenam quandam et succi et coloris maturitatem; in Belli Pelo-

ponnesiaci strepitu enutritam; in refertissimi theatri amplitudine spatiantem, eruditarum aurium religioni servientem; incitatæ et vibrantis eloquentiæ acumine instructam; liberorum demùm civium, quibuscum nata est, quibuscum viguit, quibuscum peritura est, fiduciam spirare aggredientem. Id constat, in civitate populari doctam illam, atque eductam fuisse; nec tam ex Poetarum umbraculis, quám ex Politicorum hominum spatiis in solem, atque pulverem processisse. Enimvero hoc munere, quæ Vetus appellata est, Comœdia fungi videtur, ut non accincta gelidâ et subobscurâ invidiâ, sed maledicendi apertâ, et præcipitatâ libidine; non usa fictis atque adumbratis imaginibus, sed certâ designatione rerum, temporum, personarum; non tantùm privatorum tenuitati, atque humilitati, sed etiam principum virorum majestati obtrectans; non solùm quotidianæ atque exilis nequitiæ, sed etiam raræ et lacertosæ improbitatis vindex; non humanæ audaciæ satietate expleta, sed Deorum flagitiis, et stupris, et adulteriis formidanda, legum, morum, Reipublicæ magnam se propugnatricem efferat atque ostentet.

Quinetiam pecunias in sumptus fabularum agendarum ex ærario publico erogatas fuisse; præmiisque propositis, quæ æmulorum poetarum diligentiam acuerent, certamini Magistratus præfuisse accepimus. Nec profectò id visum est Atheniensibus, in scenâ quæsitam fuisse potissimùm oblectationem elegantium animorum, qualem ex ipsius Imitationis contemplatione cùm Pictura, tùm Poetica suppeditat; sed ex re, quam poeta imitetur, utilitatem: Veterem prorsus Comœdiam morum civilium strenuam magistram extitisse; philosophiâ jucundiorem, quæ in nudis, atque actionis veritatem, et evidentiam desiderantibus præceptis versatur; historiâ utiliorem, quæ in frigidorum et demortuorum exemplorum memoriâ occupatur; utrisque potiorem, quòd hæ in judicio, atque intelligentiâ, quibus ad agendum tardius et summissius deduci solemus, præcipuè se reponant; illa dominetur in affectibus, unde ad aggrediendum quicquam omnis vehementissima impulsio derivatur.

Hactenus de Veteris Comœdiæ origine et genere: liceat præfari, non nostri muneris esse, Aristophanem percurrere; neque in famâ atque existimatione Cleonis, Lamachi, Brasidæ, neque etiam Alcibiadis et Periclis, nostram disceptationem versari; ne ex pauculis, quæ ad hujusce ævi literas supersunt, fabulis, universæ Priscæ Comœdiæ laudem æstimare, aut

ipsi

ipsi Poeticæ poetarum culpas exprobrare videamur. Sed ut de quæstione justè et constantèr disseramus; nec, quâ ipsa est usa Comoedia, indictâ caussâ condemnandi libertatem nobis deprecemur; sic constituite, ad hunc finem spectasse Veterem Comoediam, Ridiculi ministerio excitare in eorum, qui audiunt, animis Contemptum; in eorum, qui irridentur, Pudorem. Utrum verò morum emendationi prosit magis, an obstet irridendi hæc licentia, non ante licet dignoscere, quàm altè et radicitus exploratum fuerit, quâ viâ ad affectuum vim sentiendam, inter quos Contemptûs et Pudoris ratio habenda est, animus progrediatur.

Intelligo itaque cùm hanc rerum externarum universitatem, tùm humanæ mentis discursus interiores esse infinitam quandam sylvam, et materiam, unde notionum nostrarum omnis ubertas derivatur: ex his alias sæpe ita legitimè conjunctas esse, ut rerum veritatem integrè imitentur; alias ita temerè esse commistas, ut perversâ et perturbatâ adumbratione istam plane corrumpant: Rationi has partes demandatas esse, ut notiones quâ cognatione veritatem attingant, quâ fide inter se cohæreant, perpendat, atque æstimet: ardentiores autem vibrantesque imagines, quas Græci φαντασίας vocant, sive ex sinceris illis notionibus, sive ex fortuitis conflentur, rationis tarditatem et confirmationem sæpissimè nolle expectare, cogitationibus dominari, affectuum demùm procreatrices esse. Id vero animadvertendum est, quòd cum alia sit temerè, celeritèr, acritèr concipiendi, alia religiosè, castè, severè judicandi facultas, reperiatur semper ferè illa in vulgo, (præsertim ubi ad communem inscitiam et levitatem accedit popularium civitatum propria jactantia et fastus) hæc nunquam ferè nisi in gravibus eruditisque viris, quorum solidam atque austeram sapientiam optimarum disciplinarum exercitatio maturavit.

Sæpenumero itaque (ut id obiter liceat notare) reputanti mihi et quærenti, quid esset, cur in rebuspublicis popularibus plures oratores quàm in civitatibus regum imperio procuratis extitissent, id visum est; Oratorum eloquentiæ colorem, habitum, gestum procreari et fingi ad auditorum prudentiam. Ubi enim cum multitudine agendum est, affectibus vim afferre, percellere, conturbare, impellere, expeditior simul et felicior labor est, quàm legitimâ castigatâque argumentatione ad audientium rationem sensim et leniter accedere. Hinc genus illud dicendi (quod eloquen-

tiæ

tiæ laudem sibi unicè afferere videtur) ardens atque inflammatum, contortum atque acre; crebris interrogationibus, subitisque exclamationibus præruptum; coacervatis amplificationibus elatum; imaginibus undequaque arcessitis, vividisque translationibus distinctum; in rerum inanimarum compellationes, licentioresque prosopopœias turbidè erumpens, omni denique rhetorici apparatûs pompâ jactantius atque audacius exsultans. Ubi vero disceptationes atque deliberationes in judicibus versantur, quos ætas, vitæ quotidianæ ratio, magnarumque scientiarum comprehensio ad accuratam veritatis inquisitionem informavit, eloquentiâ quâdam frugalitate contenta esse videtur oratio; neque præ se fert ardentium figurarum fulgorem, quæ quamvis eruditorum ingeniorum oblectationi atque oratoris ostentationi serviant, subtilis sincerique judicii aciem non præstringunt, suadendi officio non satisfaciunt. Ficta ad voluptatem Signa et Tabulæ peritis sculpturæ picturæque oculis spectari volunt: Nata autem ad suadendum oratio pertimescit aures in rhetorum disciplinis exercitatas, quæ per eloquentiæ tortuosas vias atque ambages veritatem nôrunt perscrutari, atque artificiosam sententiarum et verborum conformationem citiùs probant, quàm causarum fidem.

Quæret quispiam, quid? itane unquam ad malitiam docta est petulantia, ut honestum dehonestare, rectum naso suspendere moliatur? an ita tardâ atque inhumanâ intelligentiâ utimur, cui in tali quæstione verba dare possit ingeniossimè nequam irrisio? Equidem invitus fateor me in istorum temporum fæcem et colluvionem incidisse, ubi quanquam diuturna scelerum importunitas non adeo effrænatam elaboravit inverecundiam, ut derideatur conjuncta societas cognatioque virtutum, Singulas tamen ab eodem Opt. Max. ortas, eidem humanæ saluti servientes, eandem promeritas remunerationem cum cæteris, non a contumeliis eâdem religione vindicari videmus: accedente hâc indignissimâ acerbitate, quod illæ ferè unicam materiam suppeditant, unde adipalis et lutulenta scurrilitas eruditæ urbanitatis laudem, hebes atque elinguis stupor ingenii gratiam et eloquentiæ consequatur.

At si, qualem per se positam, a personis sejunctam contemplamur, Virtus procacitatem atque injuriam prohibere non possit; longè facilius est obtrectare illi, qualis in hâc nostrâ imbecillitate etiam in optimorum virorum vitâ invenitur. Cum enim ex rerum, temporum, locorum aptâ con-

conſpiratione ipſa virtutis ſpecies et venuſtas pendeat, iſtam conſenſionem levitèr diſſimulante narratione, honeſtiſſimo facinori conflatur invidia, in parſimoniâ hæret crimen avaritiæ, in ſuperſtitionis famam rapta et detorta eſt Pietas. Hâc ſi non ſucceſſerit, aliâ aggrediendum eſt viâ. Cum primæ illæ, unde ad agendum impellimur, cauſæ in latebris receſſibuſque animorum abditæ et reconditæ ſint, mœrens ſæpe atque indignabundus video malevolorum improbam diligentiam huc ſe vertere, ut exterioris actûs pulchritudinem tanquàm ex interiorum conſiliorum impuritate laborantem exprobret et laceſſat. Denique, ſeu vitæ conſuetudine, ſeu Reip. inſtitutis, ſeu regionum ſitu, ſeu rebus ſacris ſeu profanis homines inter ſe diſcrepent, ſatis bella materies miniſtratur ad omnem facetiarum, quaſcunque petulantia et dicacitas effutiat, frigiditatem.

Conſtat itaque in expugnandâ nequitiâ, aut in explendâ libidine maledicendi occupari Ridiculum, prout imagines, unde ortus ſit contemptus, ex ipſâ rerum veritate legitimè ſint expreſſæ, aut ex evagantis animi intemperantiâ inanitèr effuſæ ſint.

Hæc de Contemptu in audientibus: reſtat, ut de Pudore agamus, quem illis, qui poetarum irriſione luduntur, incutere eſt Veteris Comœdiæ.

In ſentiendo dedecore ſubitus iſte animi quaſi receſſus et fuga, novi equidem quàm in ipſo diſcrimine illecebrarum extrinſecus ingruentium, dimicantium intrinſecus affectuum, periclitanti innocentiæ ſæpe opituletur; vereor tamen ne iſtarum partium aliquando proditor arguatur, quas quo tempore humanæ mentis ſaporem et ſenſum effinxit, illius clientelæ commendaverit Natura. Etenim quæ ex dedecoris conſcientiâ oritur ægritudo, quanquam in ſublimioribus quibuſdam et principibus animis ad naturæ noſtræ dignitatem ſpectet, in quotidianorum tamen hominum grege ſervit potiſſimùm arbitrio atque exiſtimationi illorum, quibuſcum ætatis, diſciplinarum, ſocietatis, vitæque domeſticæ conſuetudine conjungimur. In civitate igitur benè moratâ et bene conſtitutâ, ubi et legum et exemplorum auctoritate confirmatur virtus, ubi ad ſolitudinem atque infamiam projecta eſt nequitia, ibi honeſtas partes agere Pudorem intelligo: Sed in civitate flagitioſâ, ubi malarum artium nulla eſt inſolentia; ubi morum ſeveritas anguſtorum atque infimorum ingeniorum ſervitute digna, magnis erectiſque animis non digna cenſetur; ubi denique corrumpere et corrum-

pi

pi sæculum vocatur, in Pudore recuperandæ virtutis spes collocare valdè recusarem.

Quod igitur hujus quæstionis fundamentum est, in hâc de genere Contemptûs et Pudoris argumentatione id jactum videtis. Ad aliam disputationem festinamus, in quâ singulas partes Veteris Comœdiæ, quippe quæ ad irridendos Magistratus, Deos, Privatos pertinent, accuratè et diligentèr libet expendere.

Cum intueor in naturam universi vulgi, quorum jejuni minutique animi ex principum virorum casu ferè semper exultant et tripudiant; aut in arrogantiam atque inconstantiam, quæ in popularibus civitatibus egregiè alitur atque augetur; majorum nostrorum civili sapientiæ gratulandum esse censeo, qui tum Veteris hujusce Comœdiæ, tum Dionysiorum et Panathenæorum inter Athenienses, Bacchanalium et Saturnalium inter Romanos celebritate, populo occasionem obtulerunt, ubi tenuitatis suæ consolationi indulgerent cives infimi, cœcæ et tenebricosæ mentes paulisper quasi in apricum spatiarentur, et constricta diutius atque oppressa invidia in maledictis potius quàm conjurationibus et cædibus se efferret atque ejiceret. Sed cum reputo a personarum dignitate, quibus res publicæ procurantur, non omnino sejunctam esse auctoritatem et vim procurationis; nollem meherclè, quotquot exiles culpas in magistratibus odoretur poetarum petulantia, in plebeiorum cachinnorum intemperantiam atque insulsitatem divulgari, ne forte legum ipsarum disciplina in ejusdem despicationis societatem adducatur: nollem etiam magnæ et luculentæ improbitatis castigationem Comœdiæ deferri, ne odii atque indignationis locum risus occupet. Nec profectò quæstionum et judiciorum salubritatem mediocritèr desiderare videtur civitas, in quâ pacis et belli, legum morumque, universæ demùm Reip. causa (incolumi dignitate dico Atticarum aurium) vindicum † ranarum, avium, vesparum fide atque integritate facundissimâ mirificè suspensa est.

Nec quidem si a morum periculis prorsus aliena esset ludicra hæc reprehensio, ad talem censuram exequendam accommodati esse videntur poetæ, et id genus hominum, quorum est calidè et fortitèr concipere, potius quàm arctè atque astrictè judicare. Enimvero sincera et legitima inquisitio testes, definitiones, argumentationes, omnemque religiosæ ora-

† Vid. Βάτραχοι, Ὄρνιθες, Σφῆκες Aristophanis.

tionis

tionis fidem flagitat: repudiat licentiam maledictionis, quæ temerè et fortuitò evagatur; nec liberam infinitamque eloquentiam veritatis angustâ circumscriptione metitur.

Atqui morum fere oblita, in rebus politicis potissimùm elaborâsse videtur Prisca Comœdia; quippe quæ viguit sub idem tempus, in eâdem civitate, eodem spiritu instructa, iisdem aliquando et viris, (Aristidi scilicet, atque Alcibiadi, et Pericli,) infensa, quibus Ostracismus; notissima illa, si voles, libertatis arx et custodia; durius et verius dixeris, populari invidiæ virtutis egregiæ condonatio. Integrum quidèm atque inviolatum populi principatum semper spirat maledicendi licentia. Si quis forte miretur diversis sæculis diversas de Græcâ Comœdiâ opiniones apud Romanos obtinuisse, ad rerum civilium conditionem id non dubitet referre. Libero enim adhuc atque imperante Populo, Novæ et politiori Comœdiæ Veterem et magis robustam prælatam fuisse accepimus; utpote nimirùm cum eloquentiâ, quæ popularibus civitatibus apta est, cognatione quâdam et necessitudine conjunctam. Rep. commutatâ, virium laudem, quæ Priscæ Comœdiæ propria est, vicit elegantiæ gratia, quæ in Novâ effloruit. Hinc in Menandri commemoratione parcissimum invenias Ciceronem, effusissimum Quintilianum: Hinc Plautinis salibus, (quanquam Mediam Comœdiam potissimùm sapuerint) cessit etiam sub Augusto Terentii limata et diserta urbanitas: hinc in illo vim comicam ægrè desiderârunt ambitiosæ atque incastigatæ aures; nec libertatis conditioni suffecit istius lenitas, sermonis incorruptâ integritate ornata, donec et civitatis et eloquentiæ colorem Cæsarum diuturna dominatio penitùs immutaverit. Sic profectò quoties legibus decem tabularum, NE QUIS FAMOSUM LIBELLUM CONDERET, gravissimè sancitum fuisse recordor; toties id mihi certum habeo, popularis Reip. extinctionem seriò et constantèr eogitâsse Decemviros.

Intuenti verò cuipiam mentis humanæ discursus atque agitationes, id demùm constat, scriptis libellis quàm Comœdiæ tutiùs credi licentiam; non tantùm quia alia est in spectando incitatio, alia in legendo modestia; sed quia ad affectuum impetus excipiendos, cum congregamur et præsertim cum otiosè feriamur, quàm cum soli atque occupati sedemus, ingenio procliviori nascimur. In decantato isto * apologo, quo sub imagine litis atque actionis administratio belli, regnante Annâ, pro Europæ salute, egre-

* History of John Bull.

giâ integritate ſuſcepti, incredibili fortunâ geſti, tam nequitèr irridetur, quàm ejuſdem in æternum noſtri nominis dedecus confeſſio probatur et laudatur: In hoc, inquam, apologo, venuſtæ et perlucenti orationi contumaciam et ſtrenuitatem prorſus ignoſcendam eſſe arbitror; Ecquis verò bonarum partium iſtius patrocinium ſuſcepiſſet, ſi in ſcenâ inter aures agreſtes atque inhumanas ingratæ civitatis tùm imperatoriam virtutem et felicitatem, tùm civilem continentiam atque æquitatem populo deridendas propinâſſet dictorum et factorum impotens invidia?

Cum probrum audiri non debeat, niſi eâ lege ut reſpondere liceat, et judicio defendere, Atticarum legum modum et temperantiam non poſſum non requirere, quæ infinitam obtrectandi licentiam Veteri Comœdiæ, reis nullam reſpondendi facultatem conceſſerunt. Accedit quod in contumeliis nimia, in laudibus nulla, vituperii fugæ ſemper, gloriæ cupiditati nunquam inſerviit Priſca Comœdia: quarum utraque, quamquam ex eodem fonte (amorem intelligo, quo ſe quiſque amplectitur) profluant atque emanent, altera tamen ad coercendam atque opprimendam nequitiam potiſſimùm inſtructa eſt, altera ad excitandam virtutem, quam primò effuſè admiretur popularis civitas, mox ſuſpicioſè pertimeſcat, deinde invidioſè oppugnet.

Sed Magiſtratus ne ad Poetarum contumelias projiciantur, deprecari non auſus ſum: perfugiis non utor amplius quæſtionum et judiciorum incolumitatis: venio ad graviorem querelam. Atqui hic dubius hæreo, utrius criminis Veterem Comœdiam magis arguam, quòd Deos ipſa irriſerit, an quòd eoſdem irridendi licentiam graviſſimè ulſciſcendam duxerit. Illâ de parte ſi reſpondet, virtutum, legum, religionum omnium, quæ nefariè oppugnavit, fundamenta reſtituat: Hâc de parte ſi malit ſe defendi, reddat Socrati vitam et ſanguinem. Enimverò ex Deorum naturâ purâ atque incorruptâ ita pendet humanarum virtutum et origo, et vis, et ſanitas, ut illorum ſanctitates non poſſint labefactari, quin morum noſtrorum diſciplina eâdem intercidat ruinâ. Conſtantiam nihilominus in Athenienſi civitate deſiderari non facilè patior, quòd in perfectæ et moratiſſimæ philoſophiæ inſtauratione Socrati liberiores paulò facetias condonare eadem noluerit, poetarum procacitati, quaſi opimam prædam et delicias, deorum religiones eadem objecerit: tanquàm in aſtra atque in templa ſemper vindicandi ſint Dii, niſi quum humanis voluptatibus lenoci-

nandi

nandi inhonesta ministeria illis deferenda sunt. At verò si Diis publicè atque intemperantèr conviciando, ad affectus imperiti vulgi provocando, non sobriè et legitimè inter discipulorum conventum argumentando, non in ratione atque judiciis hærendo, magnam illam philosophiam inchoâsset Socrates; hoc prorsus fatendum est, non sordidâ excusatione conservandæ reverentiæ, quæ opinionibus, exemplis, legibus, præsertim in rebus sacris, debetur, Anytum et Melitum posterorum indignationi occursuros fuisse.

Si cui forte visum est, ad expendendam scientiam Ridiculum accommodatum esse, intelligat se rerum ordinem perturbare, et Ridiculo partes delaturum esse, quas Rationi demandari voluit Natura. Primùm enim Rationis est, consequentia notando, repugnantia videndo, ambigua distinguendo falsis vera secernere: Deinde Ridiculi est, rationem subsequi, non præcurrere; neque in cognoscendo et judicando utræ opiniones veræ, utræ fictæ sint; sed quarum causa Rationis quæstione cognita, judicata, improbata est, in illis exprobrandis et proscindendis exerceri. Contemptus enim, cæterorum affectuum ritu, est animi permotio, nullâ per se solertiâ aut prudentiâ instructa. Quicquid metuitur, non idcirco periculosum est; neque quicquid ridetur, idcirco falsum est. Nec profectò in hujusce nostræ humanitatis socordiâ atque inertiâ vehementiores affectus dominari jussit Deus, quibus adjuvemur ad sciendum, sed quibus impellamur ad agendum. Cum igitur ad scientiarum optimarum cognitionem rationis severitate, non affectuum temeritate informemur, eâdem potissimùm, unde naturæ judicia explorantur, viâ vanarum opinionum commenta expugnanda, diruenda, debellanda esse videntur.

At profectò ne inconstantiæ crimine laboraret Comœdia, aut potius ipsæ Athenæ, eruditis quibusdam viris placuit, duplicem extitisse rerum divinarum scientiam; alteram philosophorum vigiliis elaboratam, sanctam, religioni aptam; alteram de poetarum supellectile desumptam, oblectationi natam: ex illâ prodiisse universi fabricatorem, quem locorum nulla, nulla temporum circumscriptio coercet, Jovem Opt. Max.; ex hâc, scenicum, moribundum, humanis et ossibus et libidinibus indutum, stupratorem, atque adulterum Jovem. Nollem sanè istorum, qui nobiscum ejusdem humanitatis communionem sortiuntur, mentem et intelligentiam, utcunque in rebus divinis prostratæ atque abjectæ essent,

 sic

ſic deſpicatam habere, tanquam quaſcunque poetarum effutivit inſania, fabularum in fide aures Atticæ acquieviſſe videantur. Sed verò qui caſtæ et munditiis ſimplici pietati fabularum inanitatem aſtruit atque intexit, caveat ne quotidiana atque artificioſa conjunctio aliquando tandem in ſempiternam atque indiſſolubilem neceſſitudinem coeat et conſpiret. Notiones enim noſtræ, cum diutiùs aliæ alias apprehendentes nectuntur, atque inter ſe colligantur, ſeriem et continuationem ſolvi ægrè patiuntur. Difficilem adeo ſervitutem menti imponit oculorum conſuetudo, ut cujus præſtigias, ſpurcitiem, impudicitiam in ſcenâ vulgi patulo ore et cachinnis devorari ſæpiſſimè vidimus, eundem prout rerum univerſarum procuratorem colere et venerari vix ac ne vix quidem poſſimus. Atqui hoc ſic fieri ſolere accepimus, falſis vera immiſcendo periclitari ipſam veritatem; falſis pudet credere, vera piget ſecernere; ad impietatis partes tranſit ſuperſtitio, et poeticorum divûm futilitati laſſata adèo non ſufficit credulitas, ut in omni prorſus divinitate, omni vi cæleſti tollendâ quietem et ſecuritatem conſectetur.

Peractâ itaque de Magiſtratibus et de Diis inſectandis diſquiſitione, reſtat, ut de irriſione, quæ ad Privatos ſpectat, diſputemus.

Atqui in hâc parte ſi uſpiam, vitæ emendatricem, morum caſtigatricem, virtutis antiſtitem, Veterem Comœdiam agnoſco. Cum enim hæc ſit Legum conditio, ut in abſolutorum, actorumque ſcelerum pœnis immorentur, callidè jacti emiſſique Ridiculi ea eſt vis, ut ipſius pectoris involucra atque integumenta exploret atque explicet, naſcentem atque incluſam adhuc nequitiam facilè exturbet, frangat, opprimat. Nec rudis ſolùm atque imperfecta, ſed quaſi colorata etiam et roborata improbitas, dum nondum conſtantiam audaciamque attulit diuturnitas atque impunitas, pudoris diſciplinam magnoperè refugit et reformidat. Utinam verò hanc præſcriptionem moderationemque ſervâſſet Priſca Comœdia, ut, unde vindicandi initium duxerint Leges, ibi fere irridendi finem ipſa conſtituiſſet: utinam in poetarum quæſtiones magnorum facinorum inverecundiam non adduxiſſet, quorum immanitas planè expugnat facetiarum imbecillitatem: utinam in impudicitiæ reprehenſione ſe non ingurgitâſſet, cujus ipſi turpitudini pudoris humani ratio hoc deprecari videtur, ut in auribus publicis non hæreat fædarum libidinum caſtigatio, ne multorum certo detrimento conſtet paucorum incerta utilitas. At quidem habemus præclarum vitæ

tæ magiſtrum Ariſtophanem ſollicitum mehercle, ne fortè prurientes aures deficeret orationis robuſta laſcivia, minutiſque verbis rerum turpiſſimarum ſententiæ frangerentur.

Id profectò animadvertendum eſt, Miſericordiam quam ex ſcenâ Tragicâ percipimus, æquè vehementem, non æquè diuturnam eſſe ac illam, quæ ex vitæ communis conſuetudine oritur: Perexiguo enim temporis intervallo occurrit ratio, et rerum veritas præſtigiatricis fabulæ artificio, cui parumper animus obſecundavit lubens; quieſcit omnis perturbatio; neque in affectione fovendâ atque alendâ elaboramus, quæ: cum ex dolore et voluptate conflata ſit, illum tamen potiſſimùm ſapere videtur. At verò quos excitat Comœdia, amores et libidines ſerò deferveſcunt. Laſcivæ enim imagines diutius hærent, amiciſſimâ familiaritate excipiuntur, tandèm dominantur: Affectibus interea lenocinatur Memoria, in ſcenâ uſque et uſque ſpatiatur, fervida quæque ſimulacra revocat et repræſentat, donec ipſæ turbidè confluentes tumultuentur cogitationes, præteritorumque ſpectaculorum recordatio futuras auſpicetur nequitias.

Accedit quod in ſermonis quotidiani uſum Vetus Comœdia nimis devocavit facinorum frequentium conſuetudinem. Eſt profectò, eſt in integris atque incontaminatis animis mira quædam mollities et teneritas, quæ a ſceleris novitate tota tremens horrenſque refugit. Ubi vero in ora atque in voces omnium pervulgata fuerit flagitiorum crebritas celebritaſque, ingenua illa timiditas ſenſim conteritur et conficitur, donec tandem improbâ fortitudine et perſeverantiâ audiamus, ſpectemus, agamus, quæcunque domeſticorum exemplorum commendatione utuntur. Si quis forte obſtupeſcat hodiernorum morum licentiam, in concipiendâ nequitiâ alacritatem, in aggrediendâ audaciam, in agendâ conſtantiam, in reminiſcendâ hilaritatem, in commemorandâ jactantiam atque exultationem, ab hoc fonte potiſſimùm derivari intelligat, quód integritatis atque innocentiæ rubori nulla reverentia, nulla aurium caſtimonia, nulla oris religio eſt. Neque enim ſperandum eſt, ſceleris inſolentiam diutius reformidaturum eſſe animum, cum in turpitudinis patientiâ obduruerint aures.

Et jam quidem ad exitum feſtinamus: pauca tamen liceat proferre, quæ neque cum noſtri ſermonis officio omninò conjuncta ſunt, nec prorſus aliena.

Cum

Cum Poeticæ hæc indoles sit, ut temporum ætatumque omnium et locorum memoriam pervagetur, naturæque humanæ immensis spatiis potiatur, Prisca Comœdia severiorum legum circumscriptione in servitutem quandam addicta esse videtur. Non enim in universis atque infinitis, sed in certis et constitutis personis occupatur; non evagantis ingenii celeritate raptim effertur, sed facti necessitate concluditur; non argumento imperat, sed servit. Nec solùm Personarum in Veteri Comœdiâ, sed Temporum angustam comprehensionem tum in universâ Comœdiâ, tum præcipuè in Priscâ deflemus: quippe quæ præsentis sæculi utilitatem atque oblectationem tota adeò curat, ut posteris prodesse vel placere parùm studeat. Etenim Risûs secretiores causæ, cujus ministerio vitæ emendatricem futuram se sperat Comœdia, spectant ad tempus, ad locum, ad mores varios et mutabiles: perpaucorum tantùm et hodiernorum hominum auribus serviunt etiam fortunatæ venustatisque plenæ facetiæ; futurorum sæculorum sensus atque intelligentiam sæpe prætervolant. Atqui in hâc re potissimum Tragœdia liberiori et feliciori conditione uti videtur, quàm Comœdia. Misericordia enim, cæterique scenæ tragicæ affectus non ex fonte certarum ætatum aut gentium proprio emanant; sed in hujus nostræ imbecillitatis sempiternæ ratione constituti sunt, cujus neque indisertâ neque adulatrici conscientiâ cum istis, quibuscum ejusdem naturæ communio nobis intercedit, in luctûs societatem, permotionumque consensionem ubique et semper impellimur. In Veteri profectò Comœdiâ pulchritudinis duo genera sunt: alterum quod ex loco atque ex tempore pendet, aliud est in hâc civitate, aliud in illâ, aliud nunc, aliud posthac, aliquando tandem senio victo, veternoso, succi et coloris experti confectum extabescit; alterum, cujus fundamenta jacta sunt in cognitione universæ humanitatis, constans, immutabile, ex contrariis diversisque inter se pugnantibus naturæ studiis, disciplinis, ætatibus, civitatibus conflatâ admiratione perfruitur.

Nec profectò inficiandum est, taciturnitatem quandam atque incuriam in Veteri Comœdiâ animadverti, quam tamen istius ingenio facilè ignoscimus. Cum ad res politicas attentior sit Prisca Comœdia, ex incitatis et vibrantibus facetiis redundet necesse est, quæ populo risus solutissimos excutere, animosque primâ aggressione occupare possint: hinc silentur fere et prætermittuntur, utpote curiosam nimis diligentiam plebeiisque auribus non desiderandum sermonem quærentia, singularia et peculiaria morum

morum discrimina; non illa quidem magna, et aperta, et sempiterna, quæ Lacedæmona, Athenas, Romam, universasque civitates generatim designant; neque etiam illa illuminata atque ardentia, quæ in plerorumque hominum ingeniis eminent, atque extant; sed subtiliora illa, et exquisita, et recondita, quæ implicata in habitu uniuscujusque civis, colorem unicuique suum et proprium fingunt: quanquam inelegantem vitæ spectatorem fortasse fugiant, variæ multiplicisque naturæ peritum magnoperè percellunt, atque commovent.

Sed ut inde revertatur unde paulum delapsa est oratio; cum quicquid ad Magistratuum existimationem, ad Deorum sanctitates, ad Privatorum famam pertinet, a morum ratione non sejunctum sit, hujusce nostri sermonis hunc exitum habetis. Si peccaverint Magistratus, legum salubritas, judiciorum dignitas, Reip. incolumitas aliam poscunt severitatem, quàm poetarum petulantiam; aliam religionem, quàm scenæ quæstionem.

Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget.——

Si rerum divinarum scientiæ quæ temerè superingestæ fuerint fabulæ, segregandæ atque evellendæ sint, ipsius divinitatis, pietatis, veritatis causa philosophorum accuratæ atque austeræ inquisitioni se commendat. Si graviter atque atrociter deliquerint Privati, de his sileat Comœdia; ne magnorum facinorum immanitas aut extitisse, aut scenæ imbecillitati, non legum fortitudini demandata esse videatur. Nec tamen in querimonias se effundat Poetarum genus irritabile, tanquam severâ nimis præscriptione continendus esset Ridiculi liber et præcipitatus spiritus. Spondeo illis et polliceor, etiamsi Magistratibus obtrectandi laudem concedant Reip. temporibus; etiamsi Comœdiæ procacitate intactam atque inviolatam Religionem relinquere malint, quàm in expendendâ rerum sacrarum scientiâ affectuum temeritatem exercitare; etiamsi verecundiæ disciplinâ Privatorum flagitiosam audaciam se expugnare posse desperent; spondeo et polliceor, non illis defuturam esse materiam ad irridendi tum elegantiam et subtilitatem, tum duritiam atque asperitatem. Habent, ubi ostentent vires, facundissimamque libertatem; habent ubi Pudori emendatrices partes imponant; habent unde amaritudinis satietate incorruptus expleatur Contemptus; dum variam quæcunque vitæ Tabulam distinguunt, discolores

diſcolores et multiformes ineptiæ, ex omni gaudiorum dolorumque inanitate, cupiditatum timorumque importunitate procreatæ et concretæ, paucorum conſtanti atque integræ Rationi, popularibus et fæculentis curis altius ſe exerenti, ludibrium Ridiculique legitimi ubertatem debebunt.

FINIS.

De Impietate C. Cornelio Tacito falso objectata:

ORATIO,

EX INSTITUTO VIRI CL. FRANCISCI BRIDGMAN MILITIS

HABITA IN SACELLO COLLEGII ÆNEI NASI OXON.

FESTO SANCTI THOMÆ, DEC. XXI. A. D. MDCCLXII.

A

IOANNE KYNASTON, A. M.

COLLEGII EIUSDEM SOCIO.

EDITIO TERTIA.

(7)

LONDINI:
PROSTAT APUD GUILIELMUM FLEXNEY
IN VICO DICTO HOLBORN.

MDCCLXXI.

VIRO REVERENDO

OMNI LIBERALI DOCTRINA OMNIQUE MORUM ELEGANTIA POLITISSIMO

FRANCISCO YARBOROUGH, S. T. P.

COLLEGII ÆNEI NASI APUD OXONIENSES

PRINCIPALI,

STRENUO LITERARUM OMNIUMQUE ADEO BONARUM ARTIUM

FAUTORI AC PATRONO:

IOANNES KYNASTON,

INSIGNIUM ILLIUS IN SE MERITORUM MEMOR

HANC QUALEMCUNQUE ORATIONEM

APUD EAM CUI TANTA IS CUM LAUDE PRÆSIDET SOCIETATEM

EX OFFICIO PRIDEM HABITAM

IN ANIMI GRATISSIMI SUMMÆQUE OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM

LUBENS MERITO DAT DICAT DEDICAT.

CUM Famianus Strada, magni vir nominis in re literaria, acriori plane quam par erat C. Tacitum ſtilo perſtrinxerit; nec ingratum Vobis opus, Academici, nec ab ingenuæ Juventutis ſtudiis alienum, forſan aggrediar, ſi præclariſſimum hunc Hiſtoricum ab iniqua cenſura vindicare coner.

In *Proluſione*, quæ dicitur, *ſecunda* hoc ſibi tractandum proponit Strada: ‘ ut corruptam nimirum politicis præcep- ‘ tis, fucatamque adventitiis coloribus Hiſtoriam ab ea, ‘ qua laborat, invidia liberet.’ Propoſita argumenti ſumma, ex omni Scriptorum choro uni Tacito litem intendit: ut primarium, ut primum Hiſtoriæ corruptorem ad cenſuram deſignat: revocat ad examen rigidum dicam, an malevolum? omneſque nervos contendit ut evincat, nec

bonum esse Civem, nec bonum Historicum. Etenim duplici hac partitione, quæ tam Mores respicit quam Orationem, rem totam complectitur. Utriusque deinde vitii certissima quædam ponit indicia et nativos quasi quosdam characteres; mali quippe Civis, quod Religionem, quod mutuam hominum Fidem labefactet: mali autem Historici, quod Falsitatis, quod Adulationis argui possit; quod denique ab rerum gestarum narratione ad Monita et Præcepta sæpius divertat.

Hæc fere sunt quæ Tacito objiciuntur; quæ perperam interpretata Stradam impulerunt, ut inusitato vel Criticis more in eum debaccharetur: ut scriptorem impie indoctum; ut oraculorum conjectorem atque interpretem; ut quidvis potius quam Historicum appellaret. Subit hic mirari hæc unquam Tacito dicta fuisse opprobria, nedum a Strada potuisse dici. Cum vero tam latus daretur dicendi campus si omnia singulatim attingerem, hunc unum de Religione locum mihi potissimum desumam: si modo quam pronis auribus passi estis magnum hunc artis criticæ magistrum lacerantem Historici famam, iisdem et nostram utique parvitatem laceratæ medicinam adhibentem æqui bonique patiamini.

Jam

Jam primum vero Tacitum impietatis reum postulat Strada, quod, [a] ' narratione rerum omissa, quasi disceptator ' sedet otiosus, atque in utramque partem quærit ambi- ' gitque,' " Fatone res mortalium et necessitate immuta- " bili, an forte volvantur." ' Quid illa?' inquit: ' quan- ' tum religioni conducunt? Quidve de " insita multis opi- " nione" sentiendum, " non initia nostri, non finem, non " denique homines diis curæ" esse? Quid? Enimvero, Famiane, sentiendum idem quod et tu partim agnoscis, et ipse de se Tacitus fateretur: sedere quasi disceptatorem quidem, at neque impium neque otiosum. Memorarat insigne quoddam Tiberii de Galba præsagium: exin, occasione data, ad vanam Chaldæorum artem, scientiam futurorum professam, qua et ipse Tiberius imbutus erat, delabitur. Hinc omnis illa disputandi materies. Subjicit enim, [b] " Sed " mihi hæc, ac talia audienti, in incerto judicium est, " fatone res mortalium, et necessitate immutabili, an forte " volvantur: quippe sapientissimos veterum—diversos re- " peries." Diversa deinde diversorum Philosophorum placita breviter percurrens, nec quidquam interponens sui,

[a] Strad. Prolus. ad pag. 21. ex Edit. Oxon. 1745. [b] Tac. Annal. vi. 22. ex Edit. Ernesti, Lipsiæ. 1752.

rem

rem in medio relinquit. Atqui nonne æquum rerum æstimatorem, acri judicio præcellentem decuerat omnia, et sine fuco, sine fraude protulisse? Tam ea quæ Stoicorum ad mentem præclare, quam quæ ad Epicuri impie dicantur: quippe, [a] "Electionem vitæ nobis relinqui; neque mala, "vel bona, quæ vulgus putet;" et quæ sequuntur: nisi quod honorifice his de rebus sensisse Tacitum, neque consilii Stradæ fuerit, neque voluntatis evincere?

Instat enim, [b] 'quid alia hisce similia, cum evenisse aliqua 'commemorat sine deorum cura?' Hoc loco respicere videtur ea, quæ immanem Agrippinæ cædem Neronis filii jussu patratam secuta memorantur: [c] "Prodigia quoque "crebra, et irrita intercessere: quæ adeo sine cura deûm "eveniebant, ut multos post annos Nero imperium et "scelera continuaverit." Hæc sunt, opinor, de quibus, oblique perstringens more suo Strada, [d] 'mitto' inquit, 'crimina apud illum felicissime patrata: mitto virtutibus 'aversos, sceleribus faciles, humana plerumque contemnentes deos:' pari eloquentia ac falsitate. Nunquid enim

[a] Tac. ibid. [b] Strad. ibid. [c] Tac. Annal. xiv. 12. [d] Ibid.

aliud

aliud exinde colligitur, quam quod hisce in ostentis nihil divini inesse apparuerit? Nihil, quo Neroni vel imperii finem, vel scelerum, diis visum est portendi? Etenim hæc deorum securitas in irrito prodigiorum eventu tantummodo versatur; nec alio, salvo sensu, referri potest. Hoc ergo demum conficitur. Irridet hic argute tam ipsa portenta, quam vanam eorum interpretationem etiam [a] alibi talium contemptor Tacitus; deorum providentiam ne tangit quidem.

At altius tandem insurgit Strada, et plane jam paratragœdians in questus, iras, ac convicia effunditur. Scilicet Historiarum initio Tacitus, post enumerata varia quæ Neronis sub excessum Romanam ubique remp. vexabant mala, cum cuncta luxu, avaritia, fraude, scelere, sanguine permiscerentur, huic luctuosissimæ rerum imagini, [b] 'dictum 'improbum impiumque adjungit:' [c] "Nec unquam," dictitans, "atrocioribus populi Romani cladibus, magisve "justis indiciis approbatum est, non esse curæ deis securi-"tatem nostram, esse ultionem." 'O perversam,' (ita

[a] Annal. xi. 11. Hist. i. 22, 86. ii. 1, 78, 91. iv. 26, 54. et passim.
[b] Strad. ibid. [c] Tac. Hist. i. 3.

enim ad hæc exclamat Strada,) ‘ hominis interpretationem, ‘ ac pene dixerim, inter ea prodigia recensendam! adeone ‘ impie quisquam indoctus sit, ut, cum seculum suum ‘ vitiorum feracissimum fateatur, indignetur nihilominus, si ‘ suppliciis, hoc est, peccatorum pœnis illud afflictari sen-‘ tiat, deosque scelerum ultores invidiæ in humanum genus ‘ aut crudelitatis accuset [a]?’ Auditis alterius crimen: auditis alterius contumeliam: illud quidem, si dilui minus posset et refelli, at elevandum saltem atque patriæ vicem indignanti Historico quodammodo concedendum; hanc vero, dictam ab homine, cætera docto candidoque rerum censore, liberalium cum artium studiis tum multa etiam urbanitate limato, tantum ab laude abesse putabitis, quantum abest a liberalitate.

Quid? quod si Tacito liceat Tacitum explicare, atque sua ipsius sensa perinde bene quam Strada intelligere; nec insanientis sapientiæ consultum, nec sanæ derisorem esse constabit. Sic enim statuo. Qui animum ad scribendum appellunt, ut, boni scilicet viri et sortem humanam miserati, quod unum in vita vel pretii quidquam vel momenti habeat, de vita tollant, verum DEI O. M. cultum et ho-

[a] Strad. ibid.

norem;

norem, hac unica in re ſemper ſibi conſtant, hoſtili adverſus religionem odio; et ſui ſemper ſimiles atque virtutem ipſam excindere concupiſcentes, occaſionem omnem evomendi acerbitatis ſuæ virus amplectuntur, nullam prætermittunt. Ita olim fecit Lucretius, egregius ille, ſi diis placet, libertatis humanæ patronus atque vindex: credo, quia, —— "vita jaceret

"In terris oppreſſa gravi ſub relligione!"

Ita hodieque faciunt minuti quidam philoſophi, qui maleficum idem ad opus afferunt Lucretii ſtudium, ingenii laudes minime aſſequuntur. Quin igitur Taciti ſcripta ad hanc normam exigimus? De juris legumque principiis dicturum res ipſa locuſque admonere poterant, ad prodendum internecinum illud, quod ei objectatur, ſacrorum odium. Quid hic mihi Tacitus? Ediſſerit, credo, impietatis eruditæ præceptor, 'non eſſe deos, non eſſe cæleſte numen; nullas ſacras legum, nullas fœderum ſanctiones, nulla jurisjurandi vincula; jus atque fidem ſpecioſa, ſed vana, ſed ſine viribus nomina; religionem demum ſola ex utilitate pendere; ejus ad arbitrium aſſumi juxta ac deponi.' Atqui nihil horum apud Tacitum reperies. Quin, percurſis vetuſtiſſimis

quibuſdam

quibuſdam ex peregrinis legum conditoribus, Romanos tandem enumerans, " [a] Nobis," inquit, " Romulus ut " libitum imperitaverat; dein Numa religionibus, et di- " vino jure populum devinxit:" hiſtorice ſatis, nec irreverenter. T. autem Livius idem hoc argumentum pertractans, pias Numæ fraudes, ſimulatoſque nocturnos cum Dea Ægeria congreſſus, pluribus enarrat: imo vero quæ deorum de metu apud eum referuntur, firmiſſimum illud alterum religionis columen haud parum infirmare videantur; (Stradæ ſaltem nullus dubito quin hæc eadem, Tacito referente, viderentur infirmaſſe) cum eum [c] " rem ad multi- " tudinem imperitam, et illis ſeculis rudem, efficaciſſimam" appellet: nullo dum læſæ religionis opprobrio.

Ex omnibus vero, quos in rem ſuam locis Strada congeſſerit, nihil certi quidquam hac ſuper re concludi poſſet, niſi et aliis Tacitus ſanctum deorum numen palam agnoſceret; niſi honeſtam etiam ipſius de mente eorum, deque humanarum rerum procuratione opinionem, quaſi publica pietatis voce teſtaretur. Teſtatur autem egregie cum incen-

[a] Annal. iii. 26. [b] Liv. i. 19. [c] Ibid.

ſum

ſum memorans ſub Vitellio, principum furore, Capitolium, [a] "Nullo," ſubjicit, "externo hoſte, propitiis, ſi per "mores noſtros liceret, deis:" majori veritate an pietate dubito. Annon enim haud obſcure indicat prout vitæ ſunt hominum propitios eſſe aut iratos deos; neque ſolam ad ultionem vigilare, cum iram eorum et vindictam ad unicam utriuſque cauſam, corruptos mortalium mores, retulerit? Quam parum fidei mereantur quæ Tacito, uti vidiſtis, exprobrat Strada tanquam 'impie indocto, deoſque 'invidiæ in humanum genus aut crudelitatis accuſanti,' citata modo verba ſatis per ſe declarant. Unde obiter mirari liceret hunc tam inſignem locum Stradam fugiſſe: niſi quod Criticorum fere familia, acuti quippe viri qui errores ſcriptorum lynceis quaſi oculis contemplantur, ad veneres virtuteſque perinde cæcutiant.

Equidem non negaverim omnem civilium armorum rabiem, omnia domeſticarum cladium mala, [b] "fallaces ami- "citias, perniciem innocentium," quæque his ſimilia apud Tacitum leguntur, [c] iræ numinum plerumque referri. Quod

[a] Hiſt. iii. 72. [b] Annal. iv. 33. [c] Confer Annal. i. 39. et Hiſt. ii. 38. cum Annal. iv. 1. et xvi. 16.

tamen ipſum, etiamſi commoda rei hujuſce interpretatio a Tacito peti nequiret, poſſet utcunque ferri in homine, artium ingenuarum literarumque humaniorum ſtudiis ſatis quidem exculto, at divinitus patefacti futuri rerum ſtatus penitus ignaro: qui in [a] "ſæva ea et infeſta virtutibus tem- "pora" inciderat, quibus, ipſo referente, "omnis bona "ars in exilium agebatur, ne quid uſquam honeſtum oc- "curreret." Quare ſi nimius prope in jacentem patriam, nimius in morientem virtutem amor aculeatas quaſdam Tacito voces expreſſerit; honeſta hæc erumpens pectore indignatio pietatis excuſatione vel laudem iis vel veniam compararet. Porro ſi quæ ambigua magis, aut paulo forſan obſcuriora occurrant, nonne illa æquum ſit ad mentem eorum quæ pateant interpretari? Neque vero non ſatis cauſæ eſt cur id faciamus, cum hic divinam [b] vigilantiam, illic [b] benignitatem, alibi [b] favorem, nuſquam non [b] potentiam [b] juſtitiamque agnoſcat.

Quam non [c] 'feliciſſime apud illum crimina patrata ſint, teſtatur contra Stradam Tiberius, teſtatur Nero: quos

[a] Vit. Agric. i. 2, [b] "Noctem ſideribus illuſtrem, et placido mari qui- "etam, quaſi convincendum ad ſcelus dii præbuêre." Annal. xiv. 5. Vide etiam Annal. xii. 43. De morib. German. 33. Annal. i. 30. xiv. 35. Hiſt. iii. 72. iv. 57. [c] Strad. ibid.

"non

[a] "non fortuna, non solitudines protegebant, quin" mœsti, paventes, furori quam sanitati propiores, scelerum conscientia agitati dilaceratique "suas ipsi pœnas faterentur." Tanti erat in imperiis et flagitiis eminere!

Religiones patrias fieri vix potuit quin Tacitus, egregie cordatus homo et unice probus, pari contemptu ac detestatione prosequeretur; cum viderit nihil sancti deorum in cultu, nihil probi moris in vita cultorum retineri; sed fœda, sed ficta, sed inania omnia: cum [b] "quoties fugas et cædes jussit princeps," sive uxor fuerat occisa sive mater, toties indictos deorum templis honores, decreta dona, decretas supplicationes, gratias publice actas et viderit ipse, et indignabundus enarraverit. Quam digne nihilominus, quam religiose de colendis veræ pietatis officiis, de exorando, de placando divino numine senserit, ipse alicubi luculenter exponit; [c] "a diis," dictitans, "non "nisi justas supplicum preces audiri."

Hæc sunt, Academici, quæ, contra quam Strada statuerit, ad vindicandum a falso Impietatis crimine Tacitum habui dicenda. Quæ ideo paulo fusius disserere libuit,

[a] Tac. Annal. vi. 6. de Tiberio; vide sis quæ de Nerone Ann. xiv. 10.
[b] Annal. xiv. 64. [c] In orat. C. Cestii, Annal. iii. 36.

quia

quia bonos quosdam et eruditos viros, neque Italos eos neque e Societate Jesu, summe in eo elaborare video, ut, ingestis nobilissimo huic Scriptori quibuscunque verborum contumeliis, sana Juventus a scriptis ejus legendis deterreantur. Ego vero, pace illorum dixerim, nunquam animum meum inducere potui ut credam virtutum Agricolæ præconem, * Asinii Rufi amicum, Plinii Secundi, sanctissimi si quis alius viri, familiarem, clarissimum et ipsum seculi sui decus atque lumen, fœdissima impietatis labe fuisse inquinatum. Testes igitur quæro, sed nusquam inveniam; scripta evolvo, at in illis omnia, si recte interpreteris, longe dissimilia: multa inibi liberrimo spiritu de Vitio contemptim, præclare de Virtute; multa de Honesto et Decoro non pulchre solum et ornate, sed graviter etiam et ad persuadendum apte, si sensus quæsitissimi, si præclarissima exempla persuadere possint, legentibus insinuantur. Ut, qui ad illius præcepta vitam moresque componit, fieri nequeat quin illum amici haberent integerrimum amicum, civem respublica.

* De quo Plinius, " Est homo eximius, et bonorum amantissimus. Idem " C. Tacitum (scis quem virum) arcta familiaritate complexus est." Epist. iv. 15.

Etenim

Etenim vere mihi hoc videor esse dicturus: etsi omnes omnium ætatum scriptores famam Taciti laudesque nostra ad usque tempora propagaverint; ipsum tamen pulcherrimam præclarissimamque sui imaginem vivis coloribus manu sua depictam reliquisse. Testor elaboratum illud et immortale opus, præstantissimum cum morum ejus tum ingenii monimentum; quod vigebit memoria seculorum omnium, quod sera posteritas semper intuebitur. Hoc lacerum licet, et quasi e naufragio tabula, satis tamen indicat quanta fuerint absoluti ejus et omnibus suis numeris perfecti merita, tales cum sint reliquiæ. Quemadmodum istarum rerum periti e mutilo quodam statuæ, pictæve tabulæ fragmento, divinam Apellis vel Polycleti manum fateantur. Quod si præcipua sit Historiæ finis prodesse, cavendo "ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit;" quis dignius unquam, quis utilius gravissimum hoc Historici munus sustinuit? Quis rerum frequentia crebrior? Quis verbis pressior? Quis sententiarum varietate magis abundans? In tantum quidem hac, quam proxime memoravi, præ

* Tac. Annal. iii. sub fin.

cæteris virtute præſtat, ut ex ejus ſcriptis, tanquam ex uno hodie oraculo, aptam et accommodatam ad omnem hominum vitam principes, proceres, privati ſcientiam derivemus:

——————— " depaſcimur aurea dicta,
" Aurea, perpetua ſemper digniſſima vita."

Ego vero Te, Vir præſtantiſſime, neque ob ingenii vires et judicii acumen, neque ob fortunæ munera, primarium in civitate locum, et immortalem quam conſecutus es gloriam, tantum ſuſpicio, quantum ob integrum illum fortemque animum; malorum principum procerumque in eos obſequii adulatorii impatientem; ſervituti, ſuperſtitioni, ſceleri cuicunque infenſiſſimum; uni demum VIRTUTI, prolique ejus pulcherrimæ LIBERTATI pie ac inviolate æquum. Quot quantaque fidei, conſtantiæ, pietatis exempla ab oblivione vindicata et interitu, Tibi refert accepta et in æternum relaturus eſt longus ſeculorum ordo! Quo amore, quibus laudibus, qua admiratione proſequimur civile Germanici ingenium, rigidam Thraſeæ integritatem, ſenatoriam Helvidii eloquentiam! Nec minori cum emolumento, diverſo licet affectu, municipalem

lem iſtum equitem, ſubdolum, ſui obtegentem, Sejanum contemplamur; gravem in remp. virum, gravem domui Cæſaris; pellecta ſciliet adulterio Livia Druſi, muliebri ope ad honores et imperia graſſantem; inviſum patribus, inviſum plebi; libera voce, liberis utrorumque ſuffragiis damnatum, et damnandum; uni principi gratum acceptumque; at, quod ſatis pœnarum ſit, æterna a TE donatum infamia! Tibi nunquam lauream detrahet Critici injurioſa manus: quin, quamdiu de literis, de republica, de patria, de humano genere bene mereri honeſtum fuerit et glorioſum; tamdiu fama tua ſtabilis manebit et intemerata, nec niſi cum Hiſtoriæ fide, cum ipſo literarum honore unquam peritura.

F I N I S.

ORATIO

HARVEIANA.

ORATIO

IN THEATRO

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIS

Ex HARVEII Inſtituto

HABITA

FESTO DIVI LUCÆ

A. D. MDCCLXXI.

A JOHANNE GREEN, M. D.

Coll. ejuſdem Soc. et è Coll. Di. Jo. Bap.

OXON.

LONDINI,

APUD JOHANNEM WALTER.

MDCCLXXII.

ERUDITISSIMO ET SPECTATISSIMO

THOMÆ LAWRENCE, M.D.

PRÆSIDI

SOCIISQUE DOCTISSIMIS

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIS,

HANC ORATIONEM

IPSORUM JUSSU

PUBLICI JURIS FACTAM,

EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA,

D. D.

JOHANNES GREEN.

ORATIO

HARVEIANA.

IN illustrium virorum laudibus quotannis celebrandis necesse est, ut omnis dicendi materia (quod non primus moneo) ab iis, qui antecesserint, præoccupata sit; nec de rebus etiam luculentis, quæ sæpe tractatæ sunt, facile est aliquid afferre in medium, quod nemo priùs usurpaverit. Omnia enim jam vulgata; vetustis autem novitatem dare, rara et perpaucorum est felicitas; nec cuilibet fas est, ut

Avia Pieridum peragret loca nullius ante
Trita solo.

SAPIENTER tamen ac piè eorum, qui de patriâ suâ vel de genere humano egregiè meruerunt, instituta est repetita commemoratio; cum nihil magìs alios, ut eandem ad virtutem insistant viam, acuat et instiget; nihil rationi magis consentaneum sit, quam iis qui posteris benefecerunt, gratiam et honorem in omne ævum referre.

CANDIDE ergo patiemini, VIRI ORNATISSIMI, et in hoc munere obeundo, quod mihi à colendissimo Præside demandatum detrectare non licuit, à tenuitate meâ exilius exponi, quæ aliorum ornârit eloquentia.

CUM quicquid hominibus in pretio est, id vel mentis, vel corporis, vel fortunæ bonis comprehendatur; constat, quod juxta mentem sanam nihil corpore sano ad benè beatèque vivendum accommodatius sit; et proinde ii, qui sanitati vel tuendæ vel redintegrandæ operam navârunt, summo semper in honore fuerunt; ars eorum Dei donum meritò habita est.

MITTO primævos Pæoniæ artis professores, quibus pro temporum superstitione post mortem adhibitus fuit cultus divinus; quorum nomina et virtutes apud poetas, oratores et historicos celebrata, et in nummis, statuis elegantissimisque vetustatis monimentis servata, ostenderunt, humanâ sorte majus quoddam salutari arti antiquitùs attributum fuisse, sed periêre quasi nunquam fuissent, quia nulla reliquerunt scripta; aut si quæ fuerunt, ad nos non pervenere.

AUSPICATIUS rei medicæ cessit, quod divini illius Coi senis, medicinæ parentis, scripta quædam, aliorumque non pauca diversarum ætatum et gentium,

Græcorum, Romanorum et Arabum medicorum etiamnum extant, quæ fuſiùs exponere ad medicinæ hiſtoriam potiùs attinet, quamvis neque hodierno negotio prorſùs alienum; quod præcipuè poſtulat, ut honores memoriæ ſummorum virorum perſolvamus, qui rempublicam noſtram medicam et hoc ſcientiæ domicilium authoritate et munificentiâ ſuâ conſtituerunt, conſervârunt et amplificârunt; quique præclaris inventis ſanandi artem locupletârunt, optimè tum de nobis et noſtris tum de civibus ſuis promeriti.

ILLUSTREM hunc chorum ducit LINACRUS, reipublicæ noſtræ fundator; vir non magis ob medicam ſcientiam quam ob ſummam in literis peritiam inſignis; his enim jam renaſcentibus, et illâ e monachorum latebris emergente, utriſque operam non exiguam ipſe contulit; qui poſtquam primos annos in gratiſſimo Oxonii ſeceſſu tranſegerat, Italiam adivit celeberrimam tunc temporis literaturæ et philoſophiæ ſcholam; ubi præceptoribus uſus eſt peritiſſimis, et ad eruditorum familiaritatem ſeſe applicuit. Domum vero reverſus doctrinâ et moribus inſtructiſſimus, civium, primorum, principis juventutis ARTHURI (cui etiam præceptoris munere functus eſt,) et ipſius denique HENRICI Septimi Regis ſaluti fauſtè invigilavit. Indigné vero ferens eos, qui nunquam didicerant, medicinam dare auſos

 eſſe

esse primùm Regis HENRICI Octavi authoritate impetratâ hanc licentiam refrænavit; et cavit, ne homines perditissimi, lucri spe adducti, in aliorum vitas impunè grassarentur. Idcirco selectos esse judices voluit, qui scrutarentur et periculum facerent, an qui medicinam exercere ambirent, ad istud munus idonei essent. Quam potestatem ut medicis fidelibus et doctis delegaret, hanc societatem fundavit, bonisque temperavit et legibus et institutis; et tum demum omnium regni ordinum consensu stabiliri curavit; in quâ consentientibus sociorum suffragiis perpetuus constitutus est Præses. Moriens verò, quod amoris sui erga eam monimentum foret, ædes suas, in quibus, dum vixerat, acta collegii præstita fuerant, ad eundem usum legavit.

HUIC simillimus fuit CAIUS, cujus vitæ et studiorum decursus, dignitas in hoc collegio, erga socios merita et pietas iisdem penè verbis describi possunt; comitiis et publicis negotiis assiduè interesse et jura ejus tutari religioni habuit, quamdiu potuit; cum vero per valetudinem officio satisfacere diutius nequivit, Cantabrigiam suam reversus supremum obiït diem intra collegii mœnia, cujus erat alter quasi fundator, quodque ab illo Gonvillo-Caiense cognominatur; egregium testimonium et liberalitatis suæ, et amoris erga bonas literas atque disciplinam Academicam.

QUANTI

Quanti fructus ex ſemente à tantis viris factâ redundârint, ampliſſima oſtendit, quæ ſecuta eſt, meſſis eorum, qui ſanandi ſcientiam promoverunt; cujus partes olim unitæ non divortium paſſæ ſunt, ſed ſeparationem quandam benevolam, ut ſolertiùs omnes exerceantur, unà clavum tenente, cæteris auxiliantibus. Gnarus ergo quantum chirurgica ars ad medicum perficiendum conferat, prælectiones in eâ amplo ſtipendio dotatas unà cum nobiliſſimo Lumleio, viro præcellenti, amico ſuo et Mecænate noſtro perbenigno, inſtituit Caldwallus Sereniſſinæ Reginæ Elizabethæ Medicus primarius; qui ob morum integritatem, indolis ſuavitatem et multimodam eruditionem tantâ in æſtimatione apud collegas fuit, ut, quod ſoli contigit, eodem die, quo ſeſe examini ſubjecerit, ſocius factus fuerit, et ad munus cenſorium deſignatus.

Nec externæ curationis cognitio ſatis eſt medico; ſed amplius progrediendum eſt ad intimam exquiſitæ corporis humani ſtructuræ et minutiſſimarum ejus partium ad omnia vitæ munia divino artificio commodiſſimè fabricatarum notitiam. Hoc ſentiens ſuas quoque prælectiones inſtituit Gulstonus; qui voluit, ut partes corporis animalis et uſus demonſtrarentur, et actiones ſanæ explicarentur, priùs quàm ad earundem hiſtorias

 morborum

morborum et curationem deventum eſt: probé enim noverat, eos, qui Anatomices et Phyſiologiæ ope deſtituti graves ac periculoſos morbos ſanare aggrediuntur, ſine lumine, ſine clavo in mari procelloſo ac æſtuoſo jactari.

QUAM utile et laudabile ſit hoc, de quo agitur, exercitationum genus, liquidò conſtitit, cum orbi literato illuxit immortalis HARVEIUS, medicorum decus magnum! qui in prælectionibus, quas ex LUMLEII et CALDWALLI inſtituto habuit, præclariſſimum inventum patefecit, nempe, ſanguinis à corde per arterias fluentis et eodem per venas refluentis curſum et circuitum; qui veluti mille rivulis per totum corpus deductus rurſus in ſeipſum circumagitur. Hinc nova rerum facies, ratiocinia de œconomiâ animali nunquam antehàc excogitata, et in praxi medicinæ emolumenta innumera.

UT primùm verò in lucem prodiit nova iſta doctrina, variè à variis eſt accepta: alii mirari, alii adverſari, alii veteribus notum fuiſſe contendere, plerique invidere; quod uſu fere venit iis, qui aliquid humano ingenio honorificum primum indagârunt,

Inventas aut qui vitam excoluere per artes.

Tales comperit eſſe invidiæ ſtimulos ille novi orbis indagator,

dagator, qui cum de altero terræ hemiſphærio argumenta protulit, deſpectui et deriſui primum habitus eſt; poſtquam efflagitâſſet ut res experimento innoteſceret, ut quiddam inventu facile elevabant; id vero quod obvium eſt per multa ſecula latere potuiſſe, res ipſa loquitur.— Galilæus autem Antipodas eſſe auſus aſſerere non tantum deſipere, ſed impius eſſe credebatur, et in carcerem conjectus erat.— Nec magnum illud Britanniæ noſtræ miraculum et gloria Newtonus adverſarios et obtrectatores effugit, cum vim centripetam et centrifugam, unde pendet ſtupenda rerum univerſitatis compages, cum tot admirabilia et ſpecioſa naturæ opera,

Hunc ſolem, et ſtellas, et decedentia certis
Tempora momentis,

ex ſolo caſu pomi de arbore in terram, ut fertur, ſumpto argumento, explicuit; oſtendens opificem ædificatoremque mundi in omnibus agere ſimplicitèr, magnificè, geometricè. Quod idem videre eſt in humano corpore, compendiario illo mundi ſimulacro; nec minùs opificium et omnipotentia divina apparent in minimis quam in maximis.

Quod ſi inveſtigemus, ut gradatìm ſeſe aperuit

hoc inventum tamdiu tenebris involutum, id ab HARVEIO noſtro manâſſe patebit; Qui,

Exortus uti æthereus ſol,

caliginem diſperſit, veterum theoriam penitùs evertit, ſuam propoſuit, explicuit, argumentiſque et experimentis et diſſectionibus confirmavit; quæ omnia ſatis demonſtrant eum veri modi, quo ſanguinis iter peragitur, ſolum eſſe inventorem.

NEC minus feliciter in generatione animalium inveſtigandâ ſe exercuit; obſervationes item plurimas tam Anatomiam quam medicam praxin ſpectantes, multi laboris et ſtudii fructus, publici juris facturus, niſi bello civili et partium furore graſſantibus periiſſent, nunquam reparabili nec ſatis deflendo humani generis damno.

TANDEM poſt vitam in arte ſalutari promovendâ inſumptam et ſplendidiſſima, quoad vixerat, amoris erga hanc noſtram rempublicam teſtimonia ab eo exhibita, annis et honore plenus,

Summam nec metuens diem, nec optans,

ſed tanquam conviva ſatur abivit: inſolito enim animi vigore fortitudine et hilaritate, jam octogenarius et ipſe huic menſæ, quam lautè comparaverat, accumbere voluit, et ut nos redeunte anno feſtum hunc ſumeremus diem proſpexit.

Harveium meritò excipit Hamæus, rerum itidem noſtrarum fautor munificentiſſimus; qui eo affectu nos noſtraque proſecutus eſt, ut non ſuis modò largitionibus hanc ſocietatem ditârit, ſed alios quoque cum eâ minimè conjunctos, ut idem facerent, impulerit; et poſt fatale hujus urbis incendium, cum omnia communi et ineluctabili fato in cineres redacta fuere, beneficentiſſimâ manu magnam pecuniæ vim ad reſtituendas collegii ædes erogavit; et cum eædem iniquiſſimis temporibus ſub haſtâ poſitæ fuere in jus alienum jamjam ceſſuræ, de propriis facultatibus contulit, quod ad illas redimendas neceſſe erat, iterum ſe ruentium collegii rerum adminiculum columenque præbens. Et ne unquam ei in poſterum defecerint ſuppetiæ, lautiſſimis quibuſdam prædiis ſupremâ tabellâ donavit.

Harveii exemplum in anatomiâ excolendâ plurimi ſub hoc tempus ſecuti ſunt medici præſtantiſſimi, qui ſingularum corporis humani partium, utpotè cerebri, cordis, hepatis, et glandularum explicationi, inſudârunt;

ſudârunt; adeò ut ſæculum iſtud verè anatomicum dici mereatur. Sed eorum nomina, quæ vobis patent, in promptuque ſunt omnibus, invitus omitto.

Quod ſi de quibuſdam ſive perſonis, ſive factis aut rebus hodiernâ concione celebrari dignis, parciùs dicam, omiſſis multis præclaris medicis hujuſce collegii ornamentis et benefactoribus, et aliis tantum quaſi digito commonſtratis; id fit, quia in tantâ copiâ nec tempus nec vires nobis ſuppetant, ut omnia complectamur.

Inter patronos autem noſtros nolim ſilentio præterire illuſtrem Durnovariæ Marchionem, virum non magìs natalium ſplendore quam eruditione et ingenio nobilem. Non ſolum enim philologica et philoſophica ſtudia complexus eſt, ſed Theologiæ, Juriſprudentiæ et poſtremò medicinæ cognitionem tam feliciter aſſecutus eſt, ut eo nomine in ſociorum noſtrorum numerum aptiſſimè cooptaretur; quem honorem ei æquè gratum fuiſſe ac titulos à Rege collatos ipſe profeſſus eſt: nec verbis tantum affectum ſuum erga nos, ſed re comprobavit, cui debemus bibliothecam, quam conquiſierat, rarioribus libris inſtructam.

Ut inter medicos, qui anatomiam excoluerunt, Harveius, ita inter clinicam artem exercentes eminet

Sydenhamus.

SYDENHAMUS perspectæ probitatis vir; nequaquam vero alteri defuit id, in quo alter excelluit; sed huic peculiare fuit, quod, magnus velut alter HIPPOCRATES, naturam in omnibus secutus sit ducem, eique totum sese dederit. Neque enim sibi nec aliis vanis commentis fucum fecit; neque quid in medium protulit quod non observationibus et experientiâ compertum habuit. Veritati adeò addictus, ut, quoties de spe deciderit, quoties erraverit, planè et ingenuè rem fateatur; varias semper naturæ operationes attentè et subtilissimè perscrutatus est, varia morborum genera accurate distinxit, et eorum symptomata minutiùs et scrupulosiùs descripsit; quæ omnia chartis commisit fidelibus, quibus universum genus humanum beneficio sibi perpetuo astrinxit.

CUM verò proximè præcedentium sæculorum gestis præsertìm immoratus sim, non est, quod præsens ætas suo honore destituatur; quæ priorum vestigiis insistens ulteriores progressus fecit, et medicinæ rationali felicissimè incubuit: infinitus essem, si omnia docta recentiorum medicorum scripta recensere aggrederer; nec patitur eorum modestia, eorum præcipuè, quorum hodiè conspectus mentem meam reficit et recreat, ut eos coram et in os gloriosiùs prædicem. Unum tamen restabat, diù multùmque desideratum, huic ævo efficiendum; in cujus rei memoriam seorsìm honorificè

 nominandus

nominandus eſt vir non ita pridem Cantabrigiæ ſuæ ornamentum, medicus, ſi quis alius, ſagaciſſimus et literis perpolitus; cujus hortatu, cum conjunctis collegarum laboribus, Pharmacopœiæ noſtræ reformatio incepta erat. PLUMPTREIO enim Præſide multâ cum ſimplicitate pariter ac elegantiâ, tam ægrotantium quam medentium utilitati, poſitis quaſi exuviis, de novo ſurgebat ſupellex medicamentaria, quæ formulis remediorum inconcinnis, ab invicem diſſidentibus, aut malè cohærentibus adeò olìm ſcatebat, ut artis profeſſoribus opprobrium videretur, Therapeuticen, quæ medicinæ finis habetur ultimus, primævæ inſcitiæ retinere notas; cum anatomiæ et philoſophiæ naturalis luce tot tantaque adjumenta ſortita fuerat Phyſiologia. Antiquis verò ſubſtituendo formulas ſaniores, contractiores et quantum fieri poteſt, gratas, mirum eſt! quanto citiùs et jucundiùs morborum vi occurritur. Quod ſi quæ poſteritatis inquiſitioni ſubjicienda manent, conſuetudini inveteratæ tribuendum eſt quæ non facilè poteſt revelli.

DUM Noſocomii Divo Thomæ dicati curam geſſit vir humaniſſimus eâdem ingenii manſuetudine ægrotos tractavit et tyrones inſtruxit; quod teſtentur omnes, neceſſe eſt, quibus ſub illius auſpiciis rei clinicæ primitias libâſſe contigit; quorum ipſe pars perexigua in-

gratus

gratus essem, si non profiterer, per quem profecerim, si quid profeci.

Tum vero quia præceptorum nostrorum injecta est mentio, tum quia Harveianæ orationi appositum videtur eos memorare, qui in eodem, quo ipse, stadio decurrerunt, liceat mihi par illustre inter vivos designare, qui medicinam anatomicam, id est, rationalem et firmæ suæ basi fixam fundatamque promoverunt; quorum alter prælectoris anatomici munere primùm Oxonii et posteà in hâc civitate manu incomparabili, nec adhuc superatâ, humanæ fabricæ penetralia reclusit. Alterius eidem successoris et in nihilo minoris optatissimo jam fruimur Præsidio. Cum autem bene merentibus gratius est prodesse quàm laudari, ignoscas, quæso, Vir Honoratissime, quod . . . .

Præsenti tibi maturos largimur honores.

Hos viros præter Hamæum, plurimosque alios his congeneres in gremiis suis foverunt Academiæ nostrates; è quibus quum tot principes et primarii in professione salutari magistri exierunt, vel illud indicio est, non alias esse illustriores medicinæ scholas. Non eâ mente sumus, ut aliarum pretium imminuamus; sed cum ratio institutionis nostræ Academicæ a quibusdam inex-

pertis aut malevolis sugilletur; non intempestivum videtur, si paucis ostendere coner, sine odio aut gratiâ, omnes ad medicinæ studium commoditates in nostris Academiis non inferiores esse quam in aliis, vel etiam præstantiores.

In celeberrimis his gymnasiis, patriæ nostræ luminaribus, tanquam in propriis domiciliis, communium literarum et politioris humanitatis, matheseῶs et rerum naturalium studia dominari videntur; quibus, per amœnum locorum otium et requiem, præceptores clarissimos, eruditorum exempla et vitæ normam, commodissimè quisquam animum adjungere potest; quorum expers quicunque ad aliquam superioris ordinis facultatem ediscendam se accingit, perinde est, ac si nullis aut in arenâ aut molli glebâ jactis fundamentis domum ædificet.

Ars medica in plures dividitur partes, Pharmaceuticam potissimùm, Chirurgicam et Therapeuticam; quibus Anatomia, Botanice, et Chemia ancillantur. Alius aliam apprehendat, in quâ laboret; Medicus in nullâ peregrinus atque hospes esse debet. Eum vero plurimâ exercitatione et experientiâ perfici in confesso est.

Horum

Horum omnium adjumenta, præter universales scientias modo memoratas et academicas propriè dictas, nusquam majora fuerunt quam in nostris juventutis erudiendæ sedibus, quæ et professores habent doctissimos, et medicos in arte sua maximè versatos, et incolis abundant, (iis, volo, qui eas adeunt bonâ indole et industriâ præditi) et omnia, quæ ad praxin requiruntur suppeditare potuerunt; nisi quod Valetudinaria deessent, in quibus uno quasi intuitu diversa morborum genera brevi et conjunctìm reperiuntur, quæ alitèr non nisi post longum tempus sparsìm colligi possent; quæ tamen olim nec in aliis academiis, nec uspiam, nisi in primariâ aliquâ aut regiâ urbe extiterunt; quorum ergô hæc nostra civitas, quâ vix ulla ædium curandis ægris destinatarum feracior, medicinæ studiosis, ut eorum maturior fieret experientia, petenda erat. Sed in utrâque nostrâ academiâ contra istum defectum jam caveri cœptum est; adeò ut nihil illis desit, quo ad consummationem perduci possit medicinæ studium.

Quod vero magnis ibi vivatur sumptibus, fortassè non immeritò objiciatur. Sed vereor, ut id temporis et morum magis sit vitium, quam locorum; atque "Utinam," ut Fabii verbis utar, "liberorum nostro-"rum mores ipsi non perderemus." Absolutio perfectioque humanitati non competit. Sunt, semperque

2 fuere,

fuere, qui optimam difciplinam dedecorant. Verum quidem eft, quod magna pars ftudioforum voluptates quærunt, quibus quo magìs indulgent, eo ad rem minus funt attenti. Sed qui ferio ad capiendum ingenii cultum Athenas noftras concedunt, magis modico, quam plerique arbitrantur, etiamnum alantur fumptu. Ut ut hoc fit, num, quæfo, pauciores funt ad voluptatem illecebræ, pauciores impenfarum occafiones apud exteras academias, Batavas, Helveticas, Germanicas, Italas; vel apud populares noftro Scoto-Britannos? experti dicant.

Ipse pro comperto afferere aufim, medicinam impenfâ non majori, et pari, ut mininum dicam, cum profectu in noftris Academiis excoli potuiffe, ac in quâvis aliâ, fi quis voluerit et frugalitatem temperantiamque non afpernatus fuerit, etiam cum non effent illis, quæ nunc funt, Nofocomiorum fubfidia. Quod fi quæ aliunde affumenda funt auxilia, promptiùs et paratiùs in hâc urbe à noftratibus comparanda funt, quàm in ullâ exterâ, modo fibi ipfis non defuerint. Non eft ergo, ut peregrè petamus id, quod patriæ noftræ non deeft; et in quo etiam cæteris gentibus præftat.

Cum vero peregrinationem ad medicinæ ftudium dicimus non effe neceffariam in noftro ævo, ut in illo Linacrio, nolumus videri in eâ effe fententiâ, ut putemus eam,

eam, vel detrimento aut impedimento esse, vel inutilem, præsertim in arte non rudibus. Cum Pharmacopolis, Chirurgis et Medicis apud exteros versari, professores audire, ægrotorum cubiculis in nosocomiis, plus quam necesse est, squalidis inhærere, delicatioribus fortasse et elegantioribus haud gratum, usum tamen et promptitudinem in praxi parit: etiam errores et præjudicia aliorum notare non inidoneum; nec statim deterius est, quod diversum est. Licet eadem ubique sit humana natura, non est unus agendi modus; et ad eundem finem variis rationibus pervenitur. Sui cuique genti sunt mores, nostri nobis; qui in plerisque rebus nobis sunt inferiores, in quibusdam superiores esse possunt: ex aliis optimum quodque carpere, et quo quisque excelluisse videtur, id imitari atque exprimere licebit.

Illud præterea in peregrinatione optandum est, quod non ad medicam institutionem pertinet, sed neque ab eâ abhorret, non vero cuivis conceditur, mores scilicet hominum multorum videre et urbes, antiquæ artis monimenta exquirere, hodiernæ magnificentiæ opera contemplari, lautitiis et deliciis frui, et magnatibus sive nostratibus sive alienis consuescere; quandoquidem

Principibus placuisse viris non ultima laus est,

summum interdum est lucrum.

Cum omnium doctrinarum et ingenuarum artium consensus concentusque sit, docti omnes communi quodam societatis vinculo continentur; at inter ejusdem artis professores arctior debet intercedere necessitudo: hinc nos omnibus in medicinâ rite institutis, id est, qui humanitatis studio et gravibus disciplinis imbuti, penitusque perspectis naturæ legibus medicas artes excoluerunt, ubicunque natis, ubicunque edoctis dextram socialem et amicam damus. Et quidem longum et spectabilem optimorum medicorum ordinem aliæ nationes jactant, qui nimium pro dignitate laudari non possunt, si eorum præconia hujus loci essent.

Quod ad nostrates attinet, quibus Athenas nostras adire non obtigit, vel ob diversam in rebus sacris sententiam, vel quia præjudiciis abrepti de nostrâ disciplinâ minùs benè sentiunt, vel ob aliam quamcunque circumstantiam aut causam; et quod ad eos medicos attinet, qui peregrè nati et educati ad nos veniunt, non ideireo vituperamus aut minoris eos æstimamus; eandem illis, ac nobismet ipsis, potestatem quoad praxin concedimus, si capaces reperti sint, et in consiliis communicandis

Tros Tyriusve fuat, nullo discrimine habetur.

Nec

Nec tamen hoc tribuentes dederimus quoque cætera, nempe omnes ad eundem in collegio noſtro ſtatum indiſcriminatìm admitti debere; cujus rei gratiâ cum graves ei intentæ fuerunt lites, et adhuc impendeant, dicam, ut ſentio, ſine partium ſtudio.

Visum eſt legumlatoribus decernere, Linacro hortatore, ut ſit Medicorum Collegium, et ſelecti judices, qui caverent, ne quis indoctus et inhabilis ad facultatem medicinæ exercendæ admitteretur, ne quis aptus et idoneus excluderetur; qui ſi examinandos ſeveriori inquiſitioni ſubjecerint, modò fiat cum candore et liberalitate, et rem maximè ſalutarem fecerint, et munus ſibi demandatum fidelitèr impleverint.

Quid vero æquius eſt, quàm ut iſta authoritas et ſociorum jura ſint penes eos, qui in noſtris academiis innutriti ſummos in medicinâ honores adepti ſunt? primùm, quia nullæ unquam civitates majori celebritate optimorum medicorum floruere; deinde quia omni populo licuit, ſemperque licebit, rerum adminiſtrandarum curam ſuis potiùs quàm alienis tradere. Hic eſt perſonarum aut locorum reſpectus, quem amor patriæ permittit et cohoneſtat. Idemque ſortiùs obtinet apud nos in aliis facultatibus. Nemini, quamvis in diſciplinâ juris civilis eruditiſſimo, in curiis Eccleſiaſticis hujus reg-

ni caufas agere permiffum eft, nifi in alterutrâ Academiarum noftrarum gradum doctoris in jure civili fufceperit ; nemini in curiis civilibus, nifi per tempus præftitutum in aliquo legum noftrarum confultorum hofpitio ei ftuduerit ; quæ proculdubio juftis de caufis ordinata funt.

Absit a nobis ut monopolium inftituere velimus ; idoneos omnes ad jura et privilegia hujus collegii admittimus, folo fociorum titulo et diplomatum ad medicinam exercendam concedendorum poteftate Academicis noftratibus ut plurimum refervatis, nec promifcuè et communiter impertitis. Parumne vero eft, quod ad omnia vera et folida collegii commoda accedant, nifi ad regimen quoque viam fibi ftruant? Hoc gratiæ eft, illud juftitiæ.

Omissis vero cæteris, num par eft, ut illi, qui doctoratum, brevi tempore, fine magno labore, per faltum, fæpe nullis præftitis exercitiis, nonnunquam folo fcripto teftimonio comparatum et abfentibus per tabellarium tranfmiffum, adepti fuerint, quoad civitatis jus cum iis exæquentur, qui non nifi poft multos annos, diutinam in academiâ commorationem, multa doctrinæ ftadia decurfa, multa literaturæ fpecimina publicè exhibita, et per varios gradus fummos fuos honores tandem attigere

attigere? Fatemur quidem eum, qui artes didicerit, quas modo diximus ad medicinæ ſtudium eſſe neceſſarias, ubicunque loci eas hauſerit, rite inſtitutum eſſe; et fieri poſſe, rarâ ingenii felicitate, ut medicus bonus ſit, qui nullo unquam gradu academico inſignitus fuerit, nec in ullâ unquam academiâ ſtudiis vacaverit. E contra, qui doctrinæ et philoſophiæ principiis deſtitutus, medicis quibuſdam præſcriptis confiſus, experimenta ex ægrotis capit, eum Empiricum nominamus. Veſtrum eſt, COLLEGÆ DOCTISSIMI, hos ab invicem diſtinguere. Non tamen ſequitur, ut omnes in eâdem familia eandem dignitatem ſortirentur, utcunque in cæteris merentes præter educationis locum. Virtutem ſolam atque unicam eſſe veri honoris fundamentum, nemo inficias ibit; quæ quatenus viris hodie commemoratis competat, videant æqui rerum æſtimatores. Nonnihil tamen, nec immeritò, tribuitur inſtitutioni apud eos, qui virtute et doctrinâ excelluerunt. Sic olim in honore ponebatur, quod quis fuerit Athenienſis. Academiarum igitur, patriæ intereſt, ut ſit noſtratium prior ratio, quod fiat ſine alterius injuriâ.

Ab ipſis collegii incunabilis mos iſte receptus invaluit, datâ poteſtate, alienos ab academiis noſtris in ſociorum album cooptandi, vel ob dignitatis eminentiam, vel ſcientiam non vulgarem, et egregia in rem

medicam merita; quod parcè tamen et non nisi gravi de causâ faciendum, ne gratia pervulgata pereat; id enim vult privilegii notio, ut non omni et semper pateat.

Quamvis existimemus collegii pomœria, si non proferenda et propaganda, certe non contrahenda et coarctanda esse; neque adeo simus antiquitatis fautores, ut ab eâ discedere vereamur ubi ratio postulat; non tamen temerè quicquam innovandum videtur, cum veterum ordinationes plerumque summâ cum prudentia stabilitæ sint.

Est genus hominum, qui se reformatores esse credunt, si modò quid de majorum præscriptis immutaverint. Sed pristinam disciplinam ad antiquum morem rectè administrare, potiùs quàm novam substituere, verissimus frequentèr est reformandi modus. Nolumus ergo leges, quæ multorum sæculorum sapientiam continent, properantius mutari. Quieta movere ut plurimum incommodum est, sæpe periculosum. Quod si res in eodem statu manent, in quo priùs fuere, pauci admodùm queruntur, pauci se læsos putant. Neque est quod quis merito causetur, se privilegio quovis honorario exclusum, cujus jus nunquam habuit, sive casu, sive infortunio fuerit; sive sponte ei renuntiaverit,

cum

cum exteram institutionem nostræ prætulerit; quod sanè cuique liberum fuit; sed quâ legê fieret, non ignorabat. At si quid in hac contentione ab iis, qui in diversam abiêrunt sententiam, minùs liberalitèr, si quid violentèr et malo consilio factum est, id imbecillitati et fragilitati humanæ condonandum.

Omnis controversia, quæ medicam scientiam et praxin parùm attinet, civile planè est negotium, multiplices in civitate ordinum distinctiones respiciens, in quâ hominem homini præcedere politica administratio requirit, sine aliorum contemptu, quod malum ab animis nostris quam longissimè abest. Qui autem cum approbatione, permissione, et authoritate collegii medicinæ facultatem exercent, adeo non contemni se putent et despici, ut amplum se portare meriti sui testimonium pro certo sciant: eos igitur tanquam fratres et familiares agnoscimus, eorum virtutes reveremur, saltem ex nostrâ parte pacem colentes; et ut commentarios suos medicos unà cum nostris in publicos usus liberè communicent, invitavimus; quos si malint seorsim edere, non refragamur.

Medicus denique consummatus nihil ingenuè et liberalitèr educato indignum faciet, nihil inurbanum; nihil vafrè aut clanculùm; nihil injuriosè aut invidiosè;

nihil

nihil putidiùs et affectatiùs; nihil jactantèr; non popularem auram novitate aliquâ et paradoxis captabit; neque de aliorum famâ detrahet, ut addat suæ. Si qui aliter, ac ipse, sentiant, non statim ignorantiæ arguet; si quid, ut ipsi videtur, hallucinentur, non criticâ quasi censurâ reprehendet, nihil, nisi quod ipse facit, rectum putans. Non facile aliis improbitatis notam inuret, cum mentes hominum perspicere nequeat. Nihil arcanum et privato quæstui reservatum habebit; neque enim tali auxilio, nec phaleris et commentis istiusmodi indiget. Ejus quidem est

Scire potestates herbarum

et omnia remediorum genera; sed in arte paulo Exercitatiori nihil est in materiâ medicâ inexploratum. Res omninò alia est Medici solertia. Remedia efficacissima sunt simplicia, nota, neque numero multa. Quid est ergo, in quo Medici laus omnis consistit; quod eum ab Empirico et ignorante distinguit; quod facit, ut patriæ sit utilis, præsens auxilium et solamen miseris et jacentibus, et commune bonum; postremo quod divinum illum honorem meruit antiquitùs ei tributum? Dicam uno verbo, id, quod in omni re palmarium est — *Judicium* — Judicium illud volo limatum et subactum, cujus fundamentum est insita naturæ vis,

quod doctrina promovet, quod multa dies variusque labor usus et experientia perficit. Hujus ope per latissimas medicinæ regiones moderatur; et sive Prophylacticâ, sive Diæteticâ, sive Gymnasticâ parte, sive Remediis, sive nullo omninò Remedio opus est, sive adjuvanda sit, sive sibi ipsi relinquenda natura, dignoscit, dirigit et præscribit.

Cum ergo talem tantamque nacti simus provinciam, quæ æquè Collegii socios et consociatos omnes in professione salutari spectat (quicquid sit de rixis et dissensionibus nostris, sive de ditione, sive de formulâ, sive de rebus minimi momenti quas sanè sempiternâ oblivione deletas opto) in hâc Spartâ ornandâ unanimes consentiamus; quod mihi de vobis, Collegæ Dilectissimi, persuasissimum est. Id verò meminerint omnes, qui in quâlibet parte medicinæ versantur, Magnum quoddam opus, et quidem de humanis operibus longè maximum agi, cum de vitâ et salute hominum agatur.

F I N I S.

ERRATA.

P. 16. l. 2, l. *et* in:

P. 22. l. 10, l. *nostros*.

